Cambridge. University.

LACRYMÆ CANTABRIGIENSES:

In obitum Serenissimæ Reginæ
ANNÆ,
Coniugis dilectissimæ
IACOBI
Magnæ Britanniæ, & Hiberniæ
Regis.

Ex Officina CANTRELLI LEGGE, Almæ
Matris Cantabrigiæ *Typographi.*
1619.

DA 391
.1
A6C2
Rare Book Room

259604

Lacrymantium Prologus.

REginam *mortuam lugemus, quam viuam admirati ſumus*; Britanni *vniuerſi*, Daniq́; *in iſto luctus certamine concurrunt, tantiſq́; æquoribus diuiſi, lacrymarum effundunt oceanum, qui vtraq; inundat littora; Nec minore intus contentione ſpiritus noſtri exæſtuant, dum piam eius memoriam æternitati conſecrare nitimur; vndiq; ſubiti conſurgunt dolorum fluctus, qui reliquos animorum motus vel intercipiunt, vel obruunt. Quæ enim lacryma, aut quæ carmina celebrando tantæ Reginæ funeri ſufficerent? Cui ex antiquâ Regum ſerie tam illuſtrem nobilitatem, tam mirandas animi virtutes, corporiſq; venuſtatem* Dania *ab ortu conceſſerat; Cui illuſtriſſimas nuptias & fœliciſſimã prolem dederat* Scotia, *Cuius virtutem, pietatem, probitatem, vniuerſa ſpectauit cum ſumma admiratione* Britannia: *Et viderat in ſummâ Fortunâ, eam animi bonitatem quæ multis mortalibus auxilium attulerat, detrimentum nulli: Inde ingeminatur luctus noſter, dum fruſtrà nitimur illius laudes canendo adæquare, aut noſtra damna lugendo. Periſſe credibile eſt, cum iſtâ omnibus gratiſſima* Reginâ *ipſas Gratias. Sic* Muſæ *vel cantu deficiunt, vel gemitu ſtupent. Vos ingenioſi vmbrarum artifices accurrite omnes, & ſi quid ars veſtra habeat ſupra humanam naturam, quod incluſos animorum affectus exprimat; Producite. Spectet orbis, admiretur, & loquatur quàm ſit* noſtro

Par nulla figura dolori.

I. G. P.

41577

ΕΠΙΚΗΔΕΙΟΝ

In beatam felicis memoriæ Reginam

Iacobi magnæ Britanniæ, Hiberniæ, Franciæ regis coniugem.

DEfunctam, Regina potens, te carmine dicam
Heróo: elegis non obscurare deceret
Exiguis tanti splendorem nominis, aut fas
Deflere ad sedes properantem hinc ire beatas,
Et cum cœlicolis cœleste capessere regnum.
Non illam vitæ fragilis respectus agebat
Retrorsum, dum certa fides æterna petebat.
Non maiestas imperij, regniq; potestas;
Non sæcli illecebra, aut quicquam mortale moratur.
Cara recessisti popularibus Anna, suique
Non grauius desiderium nec Elissa reliquit
Optima, quæ rerum flectebat nuper habenas.
Par pietas in vtraq;, eadem moderatio summæ
Fortunæ, paucis virtus concessa viris, quos
Ipsos in vitium quoque magna potentia murat.
Æqua fuit manuetudo, clementia compar.
Sed tua non tam conspicua illustriq; patebat
Gratia, nec potuit non regia sceptra tenenti.
Augusta hæc melius regi data iura marito.
Sed neq; vt hoc vnum, sic omnia cesseris illi.
Vxor eras: hoc tu videare beatior illa.
Adde viri talis, tanti quòd principis vxor.
Adde, quod & caput est, tam pulchra prole parentem.

Non te ergo dicunt oculi lachrymare coactæ,
Sed veros gemitus dolor exprimit; ex animo te
Mœrent, ex imo ducunt suspiria corde.
Vique adeò lugere iuvat, solatium inane.
Quod pietate quidem faciunt humanitus omnes:
Sed melior tua iam sors est, neq; flebilis vlli.
Hoccine erat modò quòd tantum fulgere Cometam
Vidimus, è terris & te poscebat Olympo?
Creditur an melius non hæc portendere quicquam
Triste, sed incerti sunt ista παδήματα cœli?
Æneas simulacra modis pallentia miris,
Manes Anchisæ genitoris & ora requirens,
Alcmenen vidit, Phædram mœstamq; Eriphylen.
Has tibi non inter locus obtigit: alta supremi
Cum diuis tu diua tenes fastigia cœli.
Nec tibi libatum dempsit Proserpina crinem,
Aut Stygio regi vouit caput: impia vatum
Figmenta hæc: Vates fas est odisse prophanos.
Si Berenicéus, clara inter sydera mundi
Lucebat, quem desecuit Venus alma, capillus,
(Et Regina fuit Berenice nobilis olim)
Sanctam animam quanto recipi magis est credendum
In cœlum abruptam carne, & super astra locari,
Reginæ nostræ, perfusam sanguine Christi?
Callimachi sed & hæc stulta est fabella poetæ.
Anna vale (quid enim plures ego pangere versus
Coner nequicquam?) tua molliter ossa quiescant
Composita antiquis cum regibus & reginis.

Εἰ μὲν ἅπαξ ἦν μοῖραν ὑπεκπροφυγόντα, βιῶναι
Ἐξῆς ἀθάνατον καὶ ἀγήρων ἤματα πάντα,
Εἰκὸς ἂν ἦν ἐπὶ τοῖς τεθνηκόσι πένθος ἀρέσθαι.
Νῦν δ' ἀποκείμενόν ἐστι τὸ μέρσιμον ἦμαρ ἑκάστῳ,
Κἂν βασιλεὺς κἂν δοῦλος ἐτύχθη· τῷ σὲ μάλα χρὴ
Εὖ ἐλαφρῶς τε φέρειν, ὅ, τι πᾶσα φέρει σε ἀνάγκη.

Κὰν

Κὰν γὰρ τις ῥα θάνῃ μεγάλου βασιλῆος ἄκοντις,
Ἢ καὶ παῖδ' ἀγαπητὸν ἀνηρείψαντο θυέλλαι,
Ἀλλὰ γ' ἐν οὐρανῷ ἐστὶ βίος βασιλεύτερος ἄλλος.
Φασὶ μὲν ὡς ἄρα σῆμα κατ' οὐρανὸν ἐστήριξε
Τὸν στέφανον Διόνυσος ἀποιχομένης Ἀριάδνης.
Οὕτως ἤρατο νὶν, τὴν δ' ἡμετέρην βασίλισσαν,
Αὐτῷ τῷ στεφάνῳ δέχεται νῦν οὐρανὸς εὐρὺς.

Ἐποίησεν ἀμφότερον Ανδρέας Δουνῆς ὁ ἑλληνισμοῦ
διδάσκαλος ἐν Κανταβριγίᾳ.

EGredere ô anima, & mæstis elapsa ruinis
Corporeæ Molis, templum conscende vocantis;
Fata sequens potiora istis, securaque regna.
Terra Britanna, suos tibi dum molitur honores,
Quid, præter vestem pullam, lachrymasq́; , liturasq́;
Atra potest? meritisq́; tuis longè inferiora,
Atque suis votis; lachrymis, si ianua tantùm
Sint oculi; tu maior honoribus omnibus vna es.
Dîa, Iouis deducta sinu, & nunc reddita Diuis,
Immortale esto nomen, fatoq́; superstes.

E. Trauers Coll. Eman.

O Quàm te memorem! ô tacenda nunquam
Regum filia, mater, & marita,
Et magni soror alma Christiani.
Da iusto veniam precor dolori,
Quamuis sors tua nesciat dolorem.
Heroina potens Britanniarum:
Seu te inter choreas tripudiantem
Vidi, credideram pedes Dianæ
Summum tangere puluerem volantes;
Nec plantâ celeri, magis pepercit
Illæsæ segetis, Camilla, spicis.

Seu te, dulciſono ſonante plectro,
Noui pſallere gratiâ decente,
His (inquam) modulis Charonte victo
Cantoris Thracij reuixit vxor.
Cumq; his fatidici ſolent olores
Vitam fundere victimam canendi.
(O ſortem miſeram maliq; fati!)
Quem non imperij minax ocellus,
Maieſtas ſceleri tremenda, iuſſit
Deuotis ſtudijs obſequi, regiq; ?
Quem non aurea frons, amoris index,
Et plus mille leporibus refulgens,
Delubrum Veneris, Paphos decoris
Allexit placidâ manu regendum?
Submitti Dominæq; faſcinauit ?
Sed tam grandia poſtulant volumen,
Quantum Nicomachi decem libelli.
Lector, pete nobilem Ducissam,
Qualem curia pingit Italorum:
Lector, lege nobilem Stuartam,
Qualem curia cæpit Angelorum.
Tam charo capiti dies ſupremus
Vel milleſimus adfuiſſet ægrè:
Nec ſolatiolum foret doloris,
Si milleſimus adfuiſſet alter.
Sed producere nos iuvat doloris
Pompam, atq; vltima ſomniare; mors eſt
Tanquam deliquium ſepulchra donec
Turgent ſandapilâ, ſed vrna mors eſt.
Me ludunt miſerum moræ ac amores.
Quid ſunt exequiæ? triumphus, arram
Nam carnis tumulus capit ſequeſtram,
Olim pars melior redux vt eſſet.
Quâ ſpe molliter oro conquieſcas,
O Princeps memori canenda ſæclo!
Heroina potens Britanniarum!

In thalamum tumulumq; lectissima Reginæ.

NYmpha Caledoniæ fæcunda puerpera terræ,
Accipe musarum sponsa, vel vmbra, melos.
Te neq; vel thalamis oriens formosiùs exit,
Lumen in occasu par neq́; vesper habet.
Vna tot heroes peperit castissima mater,
Quot duo non poterant sęcula ferre simul.
Et morbi peperere preces, patientia nata est:
Vita neq́; improlis, summa nec hora fuit.
Nunc iacet, & talem vorat æmula terra parentem,
Eijcit vt ciues Attica testa pios.
Ergò Erebi cymbâ squallentis soluet ab orâ,
Dania quam tulerat per freta longa ratis?
Pinus & in puppim thalamis quæ creuerat olim
Nautica, sarcophagum, quo ferat ossa, dabit?
Sed natet in lacrymis, aderat quia nupta per vndas,
Atq́; abeat quali venerat Anna modo.
Quæ mare per medium sponsum petit, hæc amat vxor.
Quisquis & ad tumulum nauigat, ille dolet.

Iohannes Hacket Col. Trinit.

Επικήδειον, *Ad Angliam & Scotiam.*

FInitimis iunctæ ripis, quamq́; inter vtramq́;
Vnica lasciuas Tweda refundit aquas,
Quàm dubitem ne iam, disiectis vtraq́; metis
Fiet ab æquoreis Insula cincta vadis.
Scilicet, Anna, tuum dum defleat Anglia fatum,
Et lachrymas iungat Scotia mæsta suas,
Sæuior, & vastis excrescens fletibus, Ingens
Fiet de exiguo flumine Tweda mare.
Tu tantum, Iacobe, nefas auertis, & à te
Facta semel, per te lætaq́; & vna manet.

Quem ſi Fata Deum rapiunt inuiſa, vel ipſa
Tota ſibi fuerit Terra Britanna Mare.

Bini me alliciunt ſponſi, Rex magnus vterq́;,
Iacobus, Chriſtus: Dic age, Cuius ero?
Et bini expoſcunt nati, percharus vterq́;,
Carolus, Henricus: Dic age, Cuius ero?
Quatuor & cupiunt (æquè mihi gaudia) natæ,
Eliza, Infantes: Dic age, Cuius ero?
Pars illa, illuſtrem ſpondet, ſummamq́; vigentis
Europæ dominam: Præſtat at illa poli.
Æthereas tenuiſſe domos, quam dulce? ſed ô quæ
His ſine vel cœlo vita beata foret?
Terrenæ Immergi fœci quam turpe? ſed inter
Hos, erit Elyſiis Terra beata magis.
Aſt huc fata vocant, & lex inuicta tonantis:
Hei mihi! quò rapiunt fata, neceſſe ſequi;
Victa manus cedo, ſummaſq́; euecta per auras,
Serò venturas huc animas refero.

Ἀποθέωσις
Ad Aſtrologos de Nupero cometâ.

COelica gens! triſtem nuper mirata *Cometam*
Æthere ſanguineas explicuiſſe comas
Iam placidè Fulgens & luce benignior almâ,
Acceſſit cœlis addita *Stella noua.*

Fallor; at illa, olim nitidiſſima Stella, Britannas,
Illuſtrans radijs, Anna beata, plagas.
Iam cœlos emenſa, & cunctis clarior aſtris
Acceſſit ſuperis addita *Diua noua.*

Nil opus eſt tumulo aſt arâ: libamina funde,
Non fletus: quiſquis marmora mæſta vides
Mortales poſcunt lachrymas tu preſſus adora
Seu ſtellam mauis dicere, ſiue Deam.

Ioh. Garnons. Coll. Em. Soc. *Poſt*

POſtquam animo Regina diu multumq; virili,
Corporis indigno fruſtra, Celſiſſima, morbo
Obſtiterat: Poſito inſanus velut obice torrens
Altiùs inſurgit contorquens vortice ſyluas:
Sic magis atq; magis gliſcit truculenta mali vis:
Membraq; corripiens totos depaſcitur artus.
Nil iam Phillyrides Chiron, nil magnus Iapis
Dilectus Phœbo potuit: ceſſere Magiſtri,
Depoſitumq; dolent corpus, victamq; fatentes
Artem, Supremum medicinæ numen adorant.
At Regina graui iamdudum pallida morbo,
(Pallida, pulchra tamen: Nam pulchra & lilia pallent.)
Incubuit moribunda toro: ſtant vndiq; circum
Mœſta manus, famulæ, fœdantes ora profuſis
Imbribus, & crebris percuſſæ pectora palmis.
Primus ibi ante omnes, matris iuſtiſſima cura,
Deliciæ patris, Carolus, ſpes altera regni,
Vt ſtetit, vt gemuit! Non ſic Troianus Iulus
Deſertæ lachrymis defleuit fata parentis,
Dum mare dumq; docet litus reſonare Creüſam.
Obſtupuit primùm, vocis luctuſq; doloriq;
Clauſit iter: mox denſo interrumpente querelas
Singultu, & toto confuſus pectore, fatur.
Quo fugis ah feſtina nimis? Quin ſiſte per omnes
Oro deoſq; deaſq; *Anima*. An tam dulce relinques
Corporis hoſpitium matris? Vel numina teſtor,
Hoſpitium cœli vix reddent dulcius ipſi.
Hic pietas, cultuſq; deûm, Chariteſq; ſorores,
Virtutumq; cohors habitat: Suprema poteſtas
Semper ad auxilium procliuis, neſcia noxæ.
Supplicibus ſemper votis aureſq; patentes,
Nec non larga manus. Quanto ſupereminet omnes
Fortunâ reliquas, tanto ſupereminet ipſam
Fortunam meritis. O ingens gloria ſexus!

O decus

O decus eximium generis! Solatia magni
Iacobi: Sed uita mihi. Cariſſima ſemper,
Iam crudelis eris? Carolum iam deſeris? O ſi
Quæ pietas, miſerere mei, miſerere Parentis:
Funere nec patiare tuo tot funera duci.
Dixit: At illa graues oculos attollere tandem
Incipit, & nati multo conamine demum
Figit in aduerſo morientia lumina vultu.
Vt cum fata vocant niuei candoris olorem,
Ad vada Mæandri, vel ſtagna loquacia Padi,
Cum cantu vitam tenues effundit in auras:
Haud aliter duri Regina in limine fati
Collegitq; animos, dixitq; nouiſſima verba.
O præſtans animi iuuenis, virtutibus annos
Qui ſuperas: Expreſſa tui genitoris imago:
Ne, precor, eſto pius nimium (Cariſſime fili)
Ne matrem invideas cælis, lacrymiſve moreris.
Quod peperit pridem natalis Dania iactat:
Scotia quod primos thalami libauit honores:
Anglia iam noſtro (Quamuis mæſtiſſima morte)
Mortua cum fuero, tandem fit clara ſepulchro.
Sat mihi, ſat regniſq; datum. Me, regna beaui,
Prole ſimul binâ & Iacobo coniuge fœlix.
Ille tibi patriæq; pater. Quo ſoſpite, nullum
Ingens eſſe poteſt aut irreparabile damnum.
Diſce puer virtutem ex illo: ſceptraq; pace
Ferre per innumeros olim fœliciter annos.
Aſt ego iam morior: Nec vox iam ſufficit vltra.
Sentio: Fata premunt: Nequeo. O gloria Rheni,
Nata vale. Carole æternùm chariſſime ſalue.
Tu vero æternùm ſalue ter magne Iacobe
Æternumq; vale———

Olli continuo caneſcunt frigida leto
Lumina, iamq; caput flexa ceruice reclinans,
Exſpiransq; animam, placidè compoſta quieuit.
Illico præcipites famulæ crineſq; genaſq;

Infan-

Infandùm lacerę, regalia tecta fatigant
Queſtibus horrendis, & femineo vlulatu.
At bonus interea Princeps oculoſq; coloremq;
Omnia lapſuro ſimilis. Formidine cuncti
Accurrunt comites, ſtipantesq; agmine denſo
Mœſti ſubducunt miſerum, ſuſpiria longè
Mittentem, & crebro revocantem nomine matrem.

Rich. Loue Clarenſis.

ET vos, Hendecaſyllabi, vel vnum,
Vnum, ſi ſupereſt, locum rogatis?
Abite, Hendecaſyllabi, vel vnum
Fruſtrà, nec ſupereſt, locum rogatis.
Vos lætis decet aſſidere Muſis,
Natum ad delicias, iocoſq; carmen,
Natum ad lætitias, & ad lepores,
Natum ad lautitias, leueſq; riſus,
Natum ad millia multa baſiorum,
Natum ad millia multa gaudiorum,
Mille furta, Cupidinesq; mille.
Nobis par Elegos ſeueriores
Vocare, aut tragicos ſonare Iambos,
Et tantùm tetricis vacare Muſis,
Quæ ſolent lepidos fugare riſus,
Quę ſolent querulos mouere fletus.
Regina occidit Anna, ſpes Britanni,
Conſors altera, Particepsq; regni:
Vxor, Nata, Parens, Sororq;, Regum.
Quod non carmine continetur vno,
Hoc non carmina mille continebunt.
Nec vos tam exiguo referre plectro
Tam magnas querimonias decebit.
Quare, quod ſupereſt, tacete mecum,
Tacete, Hendecaſyllabi, tacete. *Hen. Molle Col. Regal.*

CAduta é nostra gloria, è l Sol scurato,
Che tutto 'l mondo abbagliar solea:
Rotto é quel nodo, che legar douea
L'alma Reale al corpo honorato.
Salita é nostra gloria, è l Sol leuato
Al cielo, e splende piu che qui splendea:
Scioltó é quel mortal nodo, che tenea
L'alma diuina dall' immortal stato.
Spirto felice, c' hai lasciato in terra
Il tuo gran nome, e i regij fatti tuoi,
Ritorni al tuo fattor. Teco Bellezza,
Virtú, Amore, & tutto ben s' interra.
Venne dall' eccelso la tua grandezza,
Et all' eccelso é ritornata poi,

Il medesimo Hen. Molle.

NO sé si hemos de alabar
De nuestra Reyna la virtud honrada,
O la desdicha de culpar,
Que su destino assi ha aquexada.
Ambos hazen dolor fuerte,
El recordar su uida, y ver su muerte.
O clara Estrella y luziente,
Porque tan presto eres escurecida?
Temer hemos la noche seguente,
Pues en tinieblas Muerte ti ha escondida:
Sino miras benignamente
Las cosas nuestras despues de tu partida:
Quando dexando el suelo,
Has alcançado desde la tierra el cielo.

El mesmo Hen. Molle.

SI Charitum & Veneris valuissent vota, supremum
Non obijsset adhuc regia Nympha diem.

Non

Non lachrymis gremium fœderet Phœbus abortis,
Nec doctæ gemerent planctibus antra Deæ.
Quis tamen invitâ hanc dicat cecidiſſe Mineruâ?
Non potuit cœlo gratior eſſe dies.
Quam Diuæ toties exoptauêre ſodalem,
Ipſa Dea æthereis iungitur Anna choris.
Non hæc Spes & Amor Muſarum inſomnia, dictant.
Deſpexit ſummo nos noua ſtella polo.

Ioh. Holman Regal.

MIrabar prædam toties transiſſe, diuq́;
Mortem ſacrilegas abſtinuiſſe manus:
Credo (Nata Deâ) fati trux pectus amore
Molli miteſcens incaluiſſe tui;
Certè vel Lacheſin, ſit quamvis dura, moueret,
Tardaretq́; fugam pollicis, ille decor;
Quàm te florentem conſpeximus! vndiq; fœlix
Seu corpus, ſeu mens excutiatur, eras.
Te natura ſibi, ſibi te fortuna popoſcit,
Vtraq; te blando ſouit amica ſinu;
Ad genus, ad cenſum vênit Digniſſimus heros,
Factaq́; es inſigni prole beata parens.
O verè præſtans, & ſanguine digna propago
Charole, defunctæ matris imago manes,
Et longùm maneas! iſtis innixa columnis
Regia perpetuo ſurgat honore domus.

Edm. Sheafe Regal.

NVnc ô, funereis nunc officioſa querelis
Nœnia, da mœſtos, & ſine fine modos!
Te, Dea, crudelis rapit inclementia fati?
Te, Dea, Muſarum flet numeroſa cohors?

Hei mihi! nuper eras nobis Berecynthia, Diuum
(Nec fallor) genitrix tu quoque nuper eras.
Fletibus ergo omnes humectent grandibus ora,
Nec ceſſent auidis illachrymare rogis:
Vos Nymphæ ante alios Aulæ, quas Diua beauit,
Atq; ſuo indulſit ſæpe fauore frui.
Æternumq; effunde tuos Academia luctus,
Non ſecus ac Vates te, Cypariſſe, ferunt.
Et tu (Chame) pias qui ſubterlaberis ædes,
Incipe lugubres ingeminare ſonos.
Sic i, ſic ſemper nitidis argenteus vndis,
Inuida nec curſum turbet arena tuum:
Deſine verùm iterum mala fata mouerier vnquam
Credere, lugubres deſine velle modos.
Tempore cuncta Deus voluit conſumere, & idem
Qui iubet ire dies, iuſſit abire dies;
Iuſſit abire dies, cumq; illis omnia delet,
Miramur? natos deuorat ille ſuos.

Ioh. Sayre Regal.

ALma Parens noſtræq; ſpei ſoboliſq; futuræ:
Quò fugis, ad noſtras non reditura preces?
Non nimis elapſum eſt fugitiui temporis, ex quo
Fleuimus Henrici funera mæſta tui.
Infandum Regina iubes renouare dolorem,
Et geminant noſtrum iam tua fata malum.
Quin reprimo: æternam tua mens meditata coronam,
Nunc habet, Angelici gloria prima chori.
Hanc etiam nobis æternam proſpera noſtram
Conſtabilit quantum fauſta propago poteſt.

Quid nimium laſſas magis vſq; fatigo Camænas,
Quorſum ego mortalem carmine ploro Deam?

Hor-

Horriſonos gemitus & præruptos ſingultus
Ferre negat placidi dulcior ordo metri.
In lacrymas dolor ergo meus liberrimus ibit
Abſq; *metro*, numeri neſcius, abſq; *modo*.

Edmundus Stubbe Coll. Trinitatis.

Memoriæ
Heroidis eximiæ Annæ Reginæ Iambi puri
ſe conſecrant.

ITa eſt: Citatus optimis venit dies;
Et inclyta Anna, digna quæ in ſolo foret
Perenna, (ni altior foret perennitas)
Honore regio vſquequaq; nobilis,
Benignitatis & Modeſtiæ decus,
Beata rege patre, fratre, coniuge;
Viri corona (fœminæ quod eſt probæ)
Parenſq; facta regiæ propaginis,
Parens futura & vſq; & vſq; Patriæ;
Dolore fœta regna dum Britanniæ,
Hiberniæq;, Daniæq; congemunt,
Abit; ſed ad ſuperna regna gaudij.

Dania natalis tractus qui protulit Annam:
Inde maritatæ Scotia terra fuit:
Læta, quidem paucos ſelectæ heroidis, at mox
Aſpicit extremos, Anglia, mæſta, dies.
Propoſitum fuit hoc fati, delatus ab vnâ,
Quòd tria, tergeminus, regna coronet honor.

Threnus
In obitum ſereniſſimæ Reginæ Annæ.
Votum
Pro incolumitate ſereniſſimi regis Iacobi.

IAcobus, modò quem corona duplex
Cinxit, coniugis hæc, & illa regis,
Alteram queritur sibi deesse,
Alterâ viduus, dolet coronâ:
Postquam illa inclyta stirpe, moribusq;
Virtutis Domina, & ministra fida,
Mortali è numero recessit Anna:
Quæ cum strenua, cum fidelis vxor
Audiret, meritò sibi hunc honorem,
Hunc sibi peperit, suo & merito,
Prou.12.4 Regis ex sapientis arbitratu,
Vt corona sui foret mariti.
Defluxit capite hæc corona; at hæret
(Quæ Dei pietas) corona regis:
Quin & hæreat vsq; floreatq;,
Et longùm maneant Britanniarum
Res cum illâ, stabilesq; floridæq;;
Dum post tempora sera (sint, precamur,
Sera hæc tempora) Rex serenus illam
Gloriæ nitidamq; perpetemq;
(Olim quam statuit benignus ipsi,
Rex regum Deus, arbiterq; summus)
Cœlo redditus induat coronam.

Andr. Woodes. Soc. Coll. D. Ioann.

Votivum Vaticinium
De immortali Regno Iacobi & Caroli ex immaturo Fato
Henrici olim Principis Optimi & Annæ nuper
Serenissimæ Reginæ.

CVm Britonum terram lasciuam Pace viderent
Cœlicolæ, & castam Religione tamen:
Consilium capiunt, quo tu, Pax pulchra, Modesta
Sis, & tu, Pietas, Inuiolata simul.

Quatu-

Quatuor in terris ſunt Summa, Iacobus & Anna,
Carolus, Henricus: Bina neceſſe mori.
Sic Superi: ſed ne pereant cœleſtia prorſus
Vita duplex dabitur, cui ſupereſſe datur.

Cœli ſcitum.

Conditio placuit: *præis Henrice: ſubitq́;
Anna ſuas nuper, proh dolor, Anna vices.

*Vtinam fuiſſet mihi ſyllaba, vtinam tibi vita, longior.

Ad Fratrem Henricus decedens, Optime Rerum,
Viue tuos annos, Carole, viue meos.
Dixit & ad Magnum diſcedens Anna maritum
Viue tuos annos, viue, Iacobe, meos.

Plaude tibi fœlix in vtroq́; Britannia; & ævum
Henricus fratri proroget, Anna viro.

Interpres Cœli duplici virtute Cometa
Hoc docuit, Blandus luce, ſed igne Minax,
Stellatæ Cameræ nobis Decreta renarrans:
Scilicet Euentu diſcimus, Arte nihil.

FIlia tibi Fatorum indulget *Dania* fœlix,
Scotia producit, Terra *Britanna* ſecat.
Tres Terræ ſunt tres Parcæ; tu Dania Clotho,
Scotia tu Lacheſis, tu Atropos, Angla, Soror.
Dania Mater, Scotia Nutrix, Anglia (verum
Dicere mens horet) dura Nouerca fuit.

Ah noli Matri inclementer dicere, noli,
Anglia Matris eram nomine digna piæ.
Fœmina debetur tibi, Dania, Nobilis, *Anna*,
Et *Regina* tibi, Scotia; nulla nego:
O quantum ſupero Riuales, cùm mihi ſoli
Debetur nomen pulchrius, *Anna Dea*.

FIlia, Sponſa, Soror Regis, Regina, fuiſti:
(Ni melius) poteras Matris habere decus:
Filia, Sponſa, Soror, Regis, Regina, futura es
Non poteras (nec opus) Matris habere decus.

Filia,

Filia, Sponſa, Soror, Regum quæ viua fuiſti
Vna Trium, te poſt fata Triunus habet.
Vir Sponſam, Natamq; Pater, Fraterq; Sororem,
Deplorant lachrymis, flebilibuſq; modis.
Vir Sponſam, Natamq; Pater, Fraterq; Sororem,
Excipiunt Hymnis, Angeliciſq; choris.
Dicite quid faciam? ſequar hæc? ſequar illa? dolori
Parco pio? an potius pareo? promo? premo?
Plango Reginam, quam (an fas?) cecidiſſe putamus:
Occidit, heu, Regis Filia, Sponſa, Soror.
Plaudo Deam, viuat (nec fas cecidiſſe putare)
Quæ Chriſti *Regis* Filia, Sponſa, Soror.
Æternùm Salue, atq; Vale, Princeps, Dea, Regis,
Et pluſquam Regis Filia, Sponſa, Soror.

I. E. Eman. Coll.

Eclogæ
Melibæus, Tityrus.

Mel. TItyre quid triſtem modularis arundine muſam?
Nos vacui ad fontes canimus, vel montibus altis
Indulgere iuuat choreis, tu ſolus in vmbra
Aut inter denſas corylos Amaryllida plangis:
Et quis erit finis, vel quæ tibi cauſa dolendi
Tanta, vel hic luctus qui ſit, da Tityre nobis.
Tit. Triſtis at ille; greges Melibæe, ac paſcua cura,
Hîc ego cum gemitu, ac lachrymis Amaryllida plangam
Vltima dona ferens, & lamentabor ademptam;
Mel. Audieram, ſed falſa meas fama impulit aures.
Tit. Audieras? & vera fuit: noſtra arua reliquit,
Et vitreos fontes, & dulcis paſcua ruris,
Paſtorumq; choros, nobis Amaryllida cœli
Heu nimis inuidere; & gaudia rapta tulerunt:
Et nunc ipſa mihi apparent deformia prata,
Et liquidi ſordent amnes, nec dulcia rura,

Paſto-

Paſtorumue placent muſæ; vidi ipſe gementum
Naijadum lachrymas, ſiluis antriſq; relictis
Fugerunt Dryades, monteſq; reliquit Apollo.
Mel. Pana Deum teſtor, Siluaniq; arboris vmbram,
Quàm me tum ſævus circumſtetit vndiq; terror,
Et præſaga mali fuerit mens, forte ſub vmbra
Dum mecum alterno certaret carmine Daphnis,
Cum ſubitò (inſolitùm) per prata, & paſcua circùm
Ingenti clamore boues, armentaq; totis
Neſcio quid ſecum clamârunt flebile campis,
Planxerunt & oues, oblitæq; vberis agnæ.
Tit. Hoc erat: extinctæ flêrunt Amaryllidis vmbras.
O Amarylli decus Nympharum, & gloria ſiluæ,
Paſtorum quæ turba fuit, quæ turba ſororum
Naijadum, quantus Dryadum ſuper æthera plauſus
Inſonuit, cum per ſyluas, aut per iuga ſumma
Luſtrâſti formoſa choros, Lyciamq; reuiſens,
Aut Pindi nemora excutiens, aut Mænala luſtrans
Virgineo ſtipata choro, ſtipante caterua
Paſtorum, per ſaxa feras valleſq; ſequuta?
Hìc te cantantem Satyri, atq; agreſtia Panes
Numina, te Fauni, Siluanuſq; arbiter vmbræ,
Hìc te Naijades, & Oreades admiratæ.
Iam nec Hamadryadum plauſus, nec carmina rurſus
Audita in ſyluis, fugiunt per prata ſorores
Effuſæ in luctus, crineſq; à vertice flauos
Cum gemitu, ac lachrimis, ac flebilibus lamentis
Auellunt, tòtoq; Amaryllida littore plangunt.
Sic vbi celſa comam Pindi regina cupreſſus
(Quam circum Dryades feſtas duxêre choreas
Et Satyri luſêre, & montiuagi Siluani,)
Vel dextrâ Iouis, aut durâ cadit acta bipenni,
Attonitæ damnoq; ſuo, nemoriſq; ruina
Siluicolæ fugêre Deæ, gemit altior Atlas,
Et Rhodope, Ideæq; arces, & magnus Olympus.
(Me miſerum) iuuat & lachrymas, & triſtia verba

Singultuſq; efferre graues, quos regius Alcon,
Alcon Paſtorum ditiſſimus, optimus Alcon,
Aut puer Alcippus gemibundo è pectore fudit.
Illum Sol oriens, vel cum deſcendit in vndas
Mœrentem aſpexit, deſiderioq; dolentem
Coniugis abrepti: non tantum Thracius Orpheus
Ad caput, Hebre, tuum indoluit, nec ad infera regna
Mæſtior Euridices defleuit triſtia fata.
At puer Alcippus caſu concuſſus acerbo,
Flebilis abiecit pharetram, dilectaq; quondam
Tela, quibus ſolitus frendentem in monte leonem,
Aut ſpumantis apri, aut transfigere pectora cerui:
Et triſti induitur mærentûm ex more cupreſſo,
Non illum placido ſolantur pectore Muſæ,
Non pueri Paſtorum, aut fiſtula dulcis Amyntæ,
In ſiluis ſecum, aut ſolâ ſpatiatur arenâ
Illacrymans, cœlum dehinc mœſtis queſtibus implet.
Paſtorum concuſſi animi, campoſq; per omnes
It gemitus; flêrunt ſiluarum numina Fauni,
Et Nymphæ flêrunt, & quiſquis montibus illis
Lanigeras agitauit oues, armentaq; pauit.
Audijt hos luctus quam fluctu interluit vrbem
Thameſis, & mœſta exoritur per mœnia clamor,
Et triſtes gemitus, & fœminei vlulatus.
Vicinæ flêrunt excelſa palatia turris,
Et dilecta domus, flerunt Winſoria Tempe,
Et Phœbo ſacra, & Nymphis gratiſſima vallis
Etonæ, cui centum habitant circum oppida Muſæ
Ludentes Pernaſſo, vndamq; Helicone bibentes.
Nil niſi triſte ſonant & ſiluæ, paſcua, & amnes,
Et liquidi fontes; triſtes Amaryllidis vmbras
Flêrunt & fontes, & ſiluæ, paſcua, & amnes.
Me. Tityre ſiſte modum lacrymis, & comprime fletus,
Surgamus, venit aduerſo de monte Menalcas,
Balantemq; gregem puerii in præſepia ducunt,
Et riuos claudunt noctis venientibus vmbris.

Ecloga, cui nomen,
Dido.

Lycidas. *Mæris.*

Ly. MÆri, vides medio iam Solem incedere curſu,
Et rapido virides ardore exurere campos,
Sectariq; pecus Syluarum frigus & vmbram.
Cur non hac quercu Cœli defendimus æſtus,
Inque herba poſiti ſolitos cantamus amores?

Mæ. Tu, Lycida, prior incipies, tibi grandior ætas,
Tu vates melior, te Mæris deinde ſequetur.

Ly. Ergò age, iam ſuperum laudes, pia crimina vatum,
Heliadaſue ſuum flentes in littore fratrem,
Aut infælices ſpreti Cyclopis amores,
Aut noſtros, toties placidè quibus arſimus, ignes,
Arboris hìc patulæ viridi ſub fronde canamus.

Mæ. Immò ea, compoſui nuper quæ carmina ſolus
Monte ſedens, calamoq́; alterna & voce notaui,
Nunc repetam; tu, ſi qua voles, poſt, carmina dices.

Ly. Incipe Mæri, precor, ſucceſſimus arboris vmbræ.
Et mihi erit tua, quidquid habes, audire voluptas.

Mæ. Occidit, heù ſortem duram, & crudelia fata,
Ante alios, Dijs chara, omnes, pulcherrima Dido.
Cum caderet, fuit ille dies caligine denſa
Turbidus, & vultum Phœbus, lucemq́; negauit.
Nec, quæ ſucceſſit, lucebat Cynthia nocte,
Cætera nec toto micuerunt ſydera cœlo.
Pan ipſe indoluit, quamvis deus, aruaq́; linquit;
Linquit agros, nemora, & ſaltus, quibus illa ſolebat
Ludere, paſtores inter, Nymphaſq́; canentes.
Obſtupuit Daphnis, Pani dilectus, & alter
Penè idem; Liceat noſtrum ſine crimine Daphin
Sic conferre Deo: Certè eſſe ſimillimus illi
Dicitur, & numeris illum cantuq; referre.

Daphnidis audiui gemitus, cum morte periret
Immeritâ Dido, lacrymasq́; per ora cadentes,
Instar aquæ tecto vidi labentis ab alto
Post imbres, oculosq́; graues, vultusq́; notaui.
Illam Pastores fusi per gramina campis
Defleuere suis; Pecudes errare per agros,
Saxa per, & montes, nullo custode, videres.
O quantum tibi nos debemus, Tityre, mæstam
Qui tali destes Didonis carmine mortem.

Tit. Dido, noster amor, Dido, ruriscq́; voluptas,
Deliciæq́; hominum, quæ te fata aspera nobis,
Quis deus, aut casus nimium crudelis ademit?
Nam postquam fato cecidisti extincta supremo,
Liquit agros Dea nostra Pales, & liquit Apollo.
Nec voces Pastorum audit nemus, aruaq́; nullam
Phyllida, nullam etiam resonant Amaryllida sylvæ.
Hic, vbi læta seges plenis crescebat aristis,
Spinosi surgunt tribuli, lappæq́; tenaces.
Depositumq́; negat tellus, fallitq́; colonos.
Aret ager, virideq́; herbæ moriuntur in illo,
Et solitos sistunt labentia flumina cursus,
Miranturq́; suos subitò exarescere fontes.
Omnia deficiunt, quæ, te viuente, benignus
E Cælo nobis donabat Iupiter alto.
O vtinam tecum perijsset Tityrus, O quàm
Te nascente die, te sole abeunte vocamus!

Ma. Quid iam nos miseri? *Ma.* Dixit nil Tityrus vltrà,
Impediunt reliquas gemitus, lacrymæq́; querelas.

Ly. O carmen mirum; quàm vellem cætera Pastor
Dixisset, potuit nil, credo, dolentius esse,
Nil melius: Tu, quæ cœpisti, perfice Mæri.

Ma. Illius in Syluis Dryades, & Oreades altis
Montibus, & fontes habitant quæ Naides, omnes
Fleuisse interitum, testes sunt flumina Nymphis,
Testes sunt Syluæ, & valles, montesq́; loquuntur.
Ibant, diffusis humerum per vtrumq́; capillis,

Pectora

Pectora tundentes palmis, lacrymiſq́; decoros
Corrumpunt vultus, & queſtibus æthera complent.
Illam etiam fleuit myrtus, fleuere geniſtæ,
Pinus & illam etiam crudeli morte cadentem
Et duræ vacuo fleuerunt littore rupes.
Ferte roſas, violaſq́; & humum fragrantibus herbis
Spargite, & in celſos vmbras inducite montes
Paſtores, Nymphæq́; omnes; ſibi talia Dido
Vult fieri, ſunt hæc Diuæ gratiſſima noſtræ.
Et tumulum exſtruite, & tumulo date nobile carmen.
Hîc Dido, clarâ generata ex ſtirpe, ſepulta eſt,
Paſtoris coniux, Paſtoris filia pulchri.
Ly. Arboribus quàm Sol brumali tempore gratus,
Quàm dulces apibus flores, & frugibus imbres,
Hæc tua tàm iucunda mihi ſunt carmina Mæri.
Nos quoq́; nunc aliquod noſtrum quodcunq́;, viciſſim
Dicemus carmen, Didoq́; feremus ad aſtra,
Dido tuam, ſic digna fuit, tollemus ad aſtra.
Ma. Dic Lycida, nihil eſſe poteſt mihi gratius illo.
Ly. Fælix excelſo Dido iam viuit Olympo,
Et noua, digna tamen, Superis comes additur ipſis;
Lætantur, ſpectantq́; omnes, lætatur & ipſa,
Inſpectatq́; Deos, & mutua gaudia captant.
Vidi, cum Cœlo vultus oſtenderet, O quàm
Diſſimilis, quàm pulchra fuit? vidiſſe Dianam,
Aut Paphiam Venerem, Iunoniſue ora putâſſem,
Si non cognôſſem: Liceat mihi dicere, Diuæ,
Et veniam precor, è vobis vix pulchrior vlla eſt.
Ergò viret nunc omnis ager, nunc frondibus arbor
Incipit apparere nouis, nunc flumina mittunt
Fontes, nunc viridi pecudes in gramine ludunt,
Paſtoreſq́; canunt, ſaltantq; ad carmina Nymphæ.
Ipſi lætantur ſaltus, ipſæq́; virentes
Dant motu Syluæ voces, & montibus ipſa
Saxa, Dea eſt Dido, Dido eſt Dea noſtra, loquuntur.
Ecce, aram ſtatuam tibi, Diua, è marmore factam.

Hìc tibi pro gregibus faciemus vota quotannis.
Hùc pateras lactis plenas, & pocula dulci
Plena mero, hùc etiam fruges, & liba feremus.
Atque tuos epulas inter dicemus honores.
Cantabit Corydon, cantabit Tityrus ipſe,
Paſtoreſq; alij: Ducent in valle choreas
Formoſæ molli Nymphæ, Satyriq; ſequentur.
Dum peragit curſum Phœbus, dum littore fluctus
Decliui currunt, dum lucent æthere ſtellæ,
Nulla tuæ venient nobis obliuia famæ,
Te ſemper præſens, te ſemper poſtera dicet
Aetas, & nomen nullo delebitur æuo.
Me. Quas grates? Quæ digna tuo pro carmine reddam
Munera? Me non ſic delectat ventus in æſtu,
Nec placidi ſomnos facientes nocte ſuſurri,
Nec cythara à Phœbo, digitis percuſſa decoris.
Ly. Nos priùs hunc calamum dabimus tibi, pulchrior illo
Fiſtula coniunctis inflatur nulla cicutis.
Hic, *Lycida alternas Muſas & Thyrſidis olim,*
Hic quoque, *Fortè nemus iuxtà ſub monte*, canebat.
Me. Tu verò calathum ſumes, quo poma ſolemus,
Caſtaneasq; nuces, ad pulchram Amarillida ferre,
Vimina quem vario texunt diſtincta colore.

Guliſlmus Burton Regal. Med. Doct.

Ode.

HOc mæſto potiùs quid faciam die?
Atrâ veſte caput, cæteraq; induam,
Et fundam lachrymas fluminis ad modum,
Vt luctus videant meos.
Hic eſt ille dies, O miſerum diem,
Qui funus celebrat ritibus omnibus
Reginæ, celebris nomine, ſed bonis
Fortunatæ animi magis.

Dani

Dani lætitiam ponite, temporis
Et quicquid ſupereſt, ducite lugubrè,
Heù, veſtri interijt principis optima
Fratri chara ſuo, ſoror.
Anglos exanimet grandior & Scotos
Luctus, nec lachrimis ſit modus aut pudor,
Noſtram mors rapuit, parcere neſcia,
Reginam immeritam mori.
Nobis illa perit flebilis omnibus,
Nulli flebilior, quàm tibi, fortium
Rex maior Britonum, qui populum pio
Vtrumq; imperio regis.
Erepta eſt thalami fida & amabilis,
Et dulcis ſocia, & regia prolium
Mater nobilium, Te quibus, & tuum
Sceptrum perpetuum facit.
Non illi ſimilem priſtina ſæcula
Oſtendunt, ſimilem nec venientia
Præbebunt iterùm tempora, nec parem
Atas noſtra aliam videt.
Incorrupta fides, iuſtitia, & pudor,
Et cultus ſuperi Numinis integer,
Et ſimplex animus, puraq; caſtitas,
Reginæ comites erant.
O quis non celebret laude, & honoribus
Tam claram merito carmine principem?
Heù, quis non doleat, morte quòd optima
Princeps hinc potuit rapi?
Sed ſic fata volunt; hîc ſit & exitus;
Tantùm iam fragili corpore nobilis
Regina interijt, mente ſed integra
In Cælis fruitur Deo.
Iacobum potiùs, qui Britones regat,
Et magnum incolumem viuere Carolum
Lætemur, maneantq; ambo ſuperſtites
Nobis perpetuò, precor.

Gulielmus Burton, Regal. Med. Doct. Ad

Ad Illustrissimam Reginam Annam tot regnis valedicturam.

CVm tibi Danorum sint nota palatia Regum
Nominis auspicio nobilitata tui.
Scotia cùm pactos tanto cum Rege Hymenæos
Vidit, & in regni parte locauit ouans.
Anglia cùm sua sceptra tuis concesserit vlnis,
Sceptra, per innumeros quæ celebrantur auos.
Quid tantis vltrà potuit supereſſe triumphis?
Quæue tuis titulis gloria maior erat?
Scilicet humani nil iàm restabat honoris:
Nec tamen ambitio sistere sancta potest.
Ergò petis tenues altissima regna per auras:
Hęc animo poterant sola placere tuo.

A. Cruso Caio-Gonvilensis.

PRôh dolor atq; cruces; non contrectabile sulmen
Aspice, qui nostræ legis otia tristia chartæ.
Insano Nemesis nunquam satiabere ludo
Impia? & humanis quantum bacchabere rebus?
Heù quoties Regina suas violauit oborto
Rore genas, magniq; rogum planxere parentes?
Expirâre rosæ iam natæ, funere acerbo
Atria destituit Regis par dulce sororum.
Tanti nostra fuit clades sæuissima, tanti
Ducere præclarum nostra de stirpe triumphum?
Parua loquor; quæ, Diua potens, quænam ista iocãdi
Sæuitia? ingentem deflemus Principis vmbram,
Principis Henrici, quo nil sublimius olim,
(Posteritas admitte fidem) noua sęcla reducent.
Quàm viridis tenero, noue flos, decerperis æuo
Purpureas vix cincte genas? quæ, rector Olympi,

Purpu-

Natio maiores potuit tolerare ruinas?
Mox oritur diuerſa lues, & flebile vulnus
Quod lacrymas ſuperet tragicas, luctuſq; cothurni.
Non illas geſtare tibi ſperauimus Anna
Funereas Regina faces, tàm claruit oris
Gratia, & in rugas nondum defluxit aniles.
Falſó igitur veteris morbi Regina minaces
Credidimus transiſſe metus, diriq; Cometæ:
Non populatrices cecinit præſaga cateruas
Stella, nec infamis contagia liuida peſtis,
Morte tua, Regina, infauſtum conſtitit omen.
Scilicet haud ſolos clades numeroſa Britannos
Perculit, aut ſolis, quibus extitit, hæſit in aruis:
Saucia lethiferam ſentit Germania plagam,
Immenſumq; nefas; cognataq; vulnera ſentit
Inſidijs fatorum animoſi Curia Regis,
Qui generis ſublimis apex; ſed & vltio mundi
Tantus erat, Regina, tibi, tot Numina terris
Addere, & optatos orbi proferre nepotes
Debueras nata in fructum prolemq; futuram.
Nunc Lucina fugit, nec pignore nitimur vllo
(O ſuperi, cæliq;) nouo. Tu, maxime rerum,
Implacidas nullo reficis ſolamine curas
Impatiens neſcire torum, tedaſq; iugales.
Quòd ſi non omnem pepuliſſes pectore matrem,
Quî poteras feſtina nimis, tot gaudia magni
Sanguinis, & caros vteri liquiſſe labores?
Nec frueris præcepta tuorum flore nepotum.
Sed frueris, diuina habitat ſi portio Manes,
Et ſi nôſſe datur ſurgentis gaudia prolis.
At nullos ſi mortis habent longa otia ſenſus,
Nec generi, natiſq; caues (pulſa oro, faceſſat
Inuidia, & Nemeſis florentibus æmula rebus)
Et natos natorum, & qui naſcentúr ab illis
Semper inoccíduos orbi durare nepotes
Noſtra fauilla tuo properabit nuntia buſto. *Ed. Palm. C. Triu.*

COElitùs emiſſam primò te Dania cepit,
Sed negat infælix Dania ſceptra tibi:
Scotia mox Thalamos præſtat, Regnumq; beatum,
Sceptraq;, ſed meritis Sceptra minora tuis.
Anglia ſuccurrit, dulciq; adiuncta Sorori
Diuitias addit grata; quid vlterius?
Cœlitùs emiſſæ ſordent terreſtria: ſordent
Natales, & opes, Trinaq; Regna tibi.
Quin repetis patrias ſedes, & læta recumbis,
Natiuo nuper reddita *Diua* polo.

Carolus Lambert Baro.
de Canan. è Coll. Ema.

ANna obit, æternâ in terris digniſſima vitâ;
Vitam ſi virtus, nobilitaſſe daret.
Hæc regis coniux, ſorot hæc, & filia regis:
Hæc tua, quod magis eſt, Carole, mater erat.
Cur hunc? cur regem? cur tot, Regina, relinquis
Regna? ſapis; multò tu meliora petis.

Dudleius North: Eques balnei. Col. Ioh.

QVem referunt alijs, Regina, obſtare Poetis,
Sollicitus Vatem me facit, Anna, *Dolor:*
Lachrima Pirene: laurus mihi mæſta cupreſſus:
Carmen & hoc tantùm *perſtrepit, Anna perit:*
Anna perit? Iam me dixiſſem iure poetam,
Mendacem certè: vah! perijſſe deas?
Non perit, aſt inter rutilantia ſidera regnat:
Carmen & hoc tantum *perſonat, Anna Dea eſt.*

Carew Lamberte. Nob. è Coll. Eman.

In

In lamentabile funus Sereniſs. Reginæ

ANNAE Potentiſſimi IACOBI Mag. Britanniæ
Regis Sponſæ Illuſtriſſimæ, Edvard. Mountagu
ſic fatur lachrymans.

CVr populi & proceres ægri ſunt? quælibet huius
Regni *Pars*, *Totum* cur malè *Corpus* habet?
In promptu cauſa eſt; *Caput* ægrum; cur *Caput* ægrum?
Proh dolor & lachrymæ, quòd *Pia Mater* abeſt.

Plebs, Populi, Proceres, *Oculiq*, *Pedesq*;, *Manusq*;
Regni, Confuſi, ſollicitiq; dolent.
Fletu *Oculus* plorat, nec quid ſit, cernit agendum,
Nec facit officium *Peſſue Manuſue* ſuum.

Anagram.

ANNA STVART REGINA VALE.
VALEANT SATVRNIA REGNA.

Aurea quæ fuerant *Valeant Saturnia Regna*,
Si fuit *Anna* valens, aurea noſtra forent.

Epitaphium Cronogramaticum.

Rege parente fui fœlix, fœlixq; Marito
Rege, & fratre meo *Rege* beata fui:
Et *Soror*, & *Coniux*, & *Filia* R-gis, & ipſa
Regina, & *Mater Principis* alma fui:
Stirpe meâ fœlix *Scotus*, *Germanus*, & *Anglus*,
Multaq; ſunt natis *Regna* beata meis.
Iam moriens *Sponſum*, cum *Fratre* & *Stirpe* relinquo,
Cognatos alibi ſum quoque nacta nouos.
Eſt mIhI naMq; pater Deus, eſt ConIuX quoqVe frater:
Sum fœlIx: Domini *Filia*, *Sponſa*, *Soror*.

*Obij: Anno MDCXVIII Martij. 1.

Mœrens mæſtuſq; poſuit ED. MOVNTAGV, *Summi*
Ang. Iuſticiarij filius nat. max. Col. Syd. Commenſalis.

In præmaturum obitum Sereniſs. Reginæ ANNAE, Gualterus Mountagu hunc *leſſum fecit.*

HVius horizontis quę quondam vt *Luna*, minorum
Stellarum cunctis clarior, *Anna* fuit;
Illa per impoſitam terreni corporis vmbram
Eclipſin patitur, luminis orba ſui.
Scilicet humana hæc ſors eſt: *cum maxima ſplendet*
Frangitur: in nullo gloria certa loco:
Dum terris ſparſit radios: dum à Coniuge lucem
Traxit, vt à Phœbo (Cynthia) fratre ſuo:
Tunc modò *Plena* fuit, modò *Dimidiata* manebat,
Paſſa tibi ſimiles (*ſplendida Luna*) vices:
Nam modò languentem morborum vidimus ictu,
Et modò mens ſano corpore ſana fuit.
At nunc *Plena* manet ſemper: nulluſq; *Planeta* eſt,
Orbe locata nouo, *Stellaq; fixa* polo.

Fudit Gualt. Mount. eiuſdem Patris
filius à primo proximus. Col. Syd.

Epitaphium.

FIlia, ſponſa, ſoror regum Regina, beati
Principis alma parens: Regia tota fuit.
Parue lapis ſub te, qui numina tanta recondis,
Sis ſacer æternùm, & molliter oſſa tege.

Proſopopœia.

NObilitas & Honos, Forma & Fortuna, quid vltrà?
His maiora hominum vincere vota ſolent.
Quæ poterant dare, cuncta tuli. Nil profuit: ecce,
Exiguo cinerum puluere miſta iacent.

Nec

Nec mirum; Cuncta hæc Cœli pars nulla fuerunt,
Pectora ſed Cœlo debita, Cœlum adeunt:
Quid valeat Pietas, videas, quæ neſcia Fati,
Poſt fatum poſſit perpetuare Decus.

Epigram.

MIra cano: areſcit pulchra hæc, quando omnia florent,
Et Roſa iam verno tempore noſtra perit:
Cum volucres renouent cantus, Præclara ſub vmbras
Quæ cecinit noſtras, Heu Philomela perit.

Mildmaius Fanus Col. Eman. Nob.

ANglia nunc tenues rumpas vlulatibus auras
Sciſſa comas, piceo ſit veſtis tincta colore.
Olim (dirum olim) dederat tibi Cynthia lucem,
Nuncq; (o dirum nunc) deſecit & altera Phæbe.
Proh dolor, en terras ſeptas caligine nigra,
Heu, nec nunc ſupereſt, quæ præbeat altera lumen,
Dixi? non ſupereſt verè: fuit altera quondam,
Quæ vice materna ſtellas rexiſſe minores
Poſſet, at hanc habet heu nimium Germania fœlix:
Quidnam ergo? æternam patietur ne Anglia noctem?
Non: rarò Phæbus cum Phæbe decidit vnà,
Phæbus adhuc ſupereſt, radijs & dirigit orbem,
Et proprio ſplendore regit noctemq; diemq;,
Phæbus adhuc ſupereſt aio: diuiq;, ſuperſit,
Faxint, vt Phæbus cum Phæbo decidat vnâ.

No. Knatchbull. Ioan.

Anna Steuarta Regina:
Anagramma:
En Sara grata inuenta:

SAra ſuo Domino (quamus Domina ipſa) marito
Paruit: En Domino *Sara* ſecunda ſuo,

Grata ſuo fuit illa: ſuo grata iſta marito,
En inuenta ſuo ſic *Sara Grata* Viro.
Regi *Anna* hoc *Stewarta* fuit *Regina* Iacobo
Viua: nec eſt quamuis mortua *Sara* minùs.
Non habet ex oculis dulces vbi condat amores
Rex pius: Exequias non capit vlla ſpecus.
Duplex illa licet, tripliciue ſub aggere corpus
Terna tegat, tectam non minùs ille videt.
Ah tandem tamen oro tuos preme, Maxime, luctus:
Et tibi ſi non vis parcere, parce tuis:
Et ſatis, & nimium eſt morbum accerſiſſe dolores,
Ex quo vix tandem conualuiſſe ferunt.
Conualuiſſe tamen lætamur, & vſq; precamur
Te dolor vt poſthac iſte, nec ille premat:

Rodolphus Coningeſby: Coll. Regal.

LAnguida deplorans quid ſtat Philomela ſub vmbras,
Quidue canit mæſtum deuia carmen auis?
Et, vos Pierides, haud carmina læta canentes,
Quid reddit madidas guttula mœſta genas?
Cauſa doloris adeſt, (ô ſi non cauſa fuiſſet)
Nunc iacet in tumulo Pyeridum domina:
Heu iacet, heu cecidit (ſi non fas dicere numen?)
Diuinæ ſaltem religionis amor.
Cuius ob interitum fleuerunt ſydera cœli,
Protulit & gemitus, Divus Apollo ſuos.
Gloria clara obijt terræ Regina Britannæ;
Non obit, aſcendit culmina ſed Superum.
Cynthius, & Pallas cupiunt hanc lumine caſſam,
Sed tamen hanc Phœbus nec Dea Pallas habet.
Alternis vicibus dum certant, Rector Olympi
Abſtulit in cœlum, fecit & inde Deam.

Guli. Hake Coll. Eman. Gen.

Offi-

OFficium incepit tandem mea Musa subire,
Si primum carmen fecerit esse meam.
Primum concessit tantùm pro tempore carmen,
In fletus tamen est officiosa magis.
O nimis in fletus procliuis; victa dolore
Nil præter luctus, nunc, gemitusq́; parit.
Anna rudi parcas, animoq́; ignosce volenti;
Ecce damus lachrymas; Carmina Musa negat.

Rob. Smith. Coll. Regal.

Carmen lugubre Ioannis Turneri *ad Collegium Reginale.*

INfandum! Aonidum fas cernere vbiq́; sororum
Vndantes ὄμβρω δακρυόεντι domos.
Tu tamen, ô mea cura, domus, tu ἔξαρχε γόοιο,
Quæ de Reginæ nomine nomen habes:
Grande nefas tibi crede, κόρον κρυεροῖο γόοιο
Si lachryment aliæ, mergere tu lachrymis.
Quam quondam posuit, soluat nunc Regia coniux.
Non illâ pietas ista futura minor.
Si te fata manent, nec sis mansura per æuum,
O esset fati tam pia causa tui.

Acerbissimus Angliæ dolor ob mortem Illustrissimæ Reginæ ANNAE, *vnà cum consolatione de salute serenissimi Regis sui* IACOBI.

ANglia Iacobo lætissima, flebilis Annam
Luget: & affectu pugnat vtroq; pari.
Coniuge nec saluo non cogitet omnia læta:
Coniuge nec demptâ temperet à lacrymis.

Merge-

Mergeret in lacrymas ſe mox (puto) ni ſibi ſciret
Tam ſupereſſe Deum, quàm periſſe Deam.
Nec lacrymis adeò fluitaret, ni quoque ſciret
Tam periſſe Deam, quàm ſupereſſe Deum.

Ioan. Goodwin Coll. Reginal. Soc.

In obitum ſpectatiſſimæ Reginæ Annæ
Dialogus. Dania, Britannia.

Da. DOnec fata ter inuida
Conceſſêre mihi pulchram Amaryllida,
Me non vlla beatior
Mater, nulla fuit terra beatior.
Bri. Donec dura neceſſitas
Mortis non rapuit dulcem Amaryllida,
Multi nominis Albion
Antiquâ vigui clarior Atticâ.
Da. Me nunc gaudia deſerunt,
Et triſtes gemitus & lachrymæ iuuant:
Heu ſum ſola miſerrima
Matrum, quas oriens ſol videt vſpiam.
Bri Me nunc lætitia vndiq;
Omnis deſeruit, iam dolor obſidet:
Heu non tam miſeram, vſpiam
Terrarum, exoriens ſol videt inſulam.
Da. Quin tu redde Britannia
Pignus dulce meum haud ſic tibi creditum:
Tum non expeterem tuos,
Theſauroſue tuos, fertilis India.
Bri. O ſi quis referat deus,
Et mortis tetricæ clauſtra refringeret!
Non vltra cuperem mihi
Theſauros Arabum, aut diuitis Indiæ.
Tu verùm, o Soror, exigis

Iniu-

Iniuſtum, reditus nullus ab ædibus
Fati, cum ſemel Atropos
Vitæ diſſecuit fila fugacia.

Cuthbertus Pearſon Coll. Regal.

Poſt obitum magni crinitum Cæſaris aſtrum
In cœlis animam dixit ineſſe ſuam;
Te viuâ in terris, fulgens *Regina* Cometa
Ante obitum ſaluam nunciat eſſe tuam.
Ante obitum fœlix ſupremaq; funera debes
Dicier: hoc docuit Preſcia ſtella tibi.

R. Damport S. Theo. Bac. Coll. Syd.

CVm Fata auguſtis aderant Natalibus Annæ,
Vni addixerunt tres tria regna Deæ.
Altricem Clotho Daniam deſignat alumnæ;
Nubenti Lacheſis Scotica regna parat:
At Parca (infantum quæ cunis flebile cantat)
Adde, ait, imperijs Anglica ſceptra tuis.
Patria ſic cunas, thalamos dat Scotia molles:
Hæc nec terra tibi dura, nec illa fuit.
Anglia dura fuit, quæ ſaxea ſtrata parauit,
Et duro incluſit mollia membra Toro.
Anglia quî poteras odij hanc tranſmittere nubem,
Tu ſi non aliquo numine tuta fores?
Ergo tibi inuidiam minuat Parca, Atropos illa
Dicitur, à nece quòd flectere neſcit iter.
Hæc regnis licet vna tribus te orbauerit, vno
Anna tamen frueris nunc potiore tribus.

VVlcanus *Aulam* corripuit citus
Non immerenti nomine *caudidam*,

Vel *candidi* quòd Regis aulæ,
Vel quia *canduit* igne diro:
At causa flammæ tecta fuit diu:
Nunc & doloris principium patet;
Annæ fuit suprema ignis
Ille, *rogus* fuit occidentis.
Illa, illa fera incendia Ciuium
Restinxit ardor: Regia fit cinis,
Dum fontibus Niliſq; ruptis
Segnius efficiunt paludes:
Sic Camus Annæ dum lachrymas Pyræ,
Fonteſq; salsos spargit Isis rogo;
Vterq; restinguit fauillas,
Seriùs & cineres coercet.

R. Gilpin Regal.

QVondam inter sæuos Britonas, Danoſq; feroces,
Natura æquoreas prouida fudit aquas:
Nunc si pacatos eadem disjungat, amicis
Altera littoribus dignior vada foret.
Occasum *Reginæ* tuum gemibundus vterque
Defleat, & lachrymas iungat vtrinq; suas,
Crediderim è tantis enatæ fletibus vndæ,
Oceani poterint jure subire vices.

Io. Dod, Eman. Coll. Soc.

VOS ô progenies timenda noctis,
Læsi queis hominum dedere mentes
Multandas Superi malo flagello,
Lamentum, gemitusq;, lachrymęq;:
Et si quid gemituq; lachrymisq;
Orco est perditius, magisq; dirum,

Ad-

Adeſte hendecaſyllabis precamur,
Annæ dum celebrant pios triumphos
Reginæ, quotacunq; pars triumphi,
Tanto plus nimis impares triumpho.
Annam dum memoro decus Danorum,
Et florem Scoticæ Anglicæq; gentis,
Namq; has tres ſibi Gratias habebat:
Quæ ſordent prope gratiâ reliſtâ
Olim quam Venere è ſuâ obtinebant,
In fletus mea Muſa tranſit omnes;
Optatq; ad lachrymas nouos ocellos
Centum, mille, doletq; multa quòd nil
Centum & mille queant valere ocelli, &
Aegra eſt quòd nequeat ſatis dolere; &
Tanto ne careat bono ſuperſtes
Feſtinans moritur———

Tho. Goad. Coll. Regis.

DAnia te natam vidit, te Scotia nuptam,
Anglia te caſſam lumine ſola videt.
Orba ſibi raptam deplorat Dania prolem,
Orbaq; flet matrem terra Britanna ſuam.
Conueniunt Anglus Danusq; & Scotus in vno:
Omnis in his lachrymis gens habet, vnde fleat.
Dent vobis thalami, vobis dent gaudia cunæ,
Et ſuus hinc reliquis gentibus adſit honor.
At tumuli nobis non inuideatis honores;
Vnica ſint nobis gaudia, flere ſatis.

Z. Tutteſham Trin. Coll.

LOndinum iuxtâ ſtant puluinaria regum,
Nomen ab *occiduo* quæ meruere *ſitu:*

Heroum hîc cineri dedit Anglia mille ſepulchra,
Mille Heroinis Anglia grata dedit.
Anna tibi meritum nunquam præſtaret honorem
Anglia, ſi ſtrueret mille ſepulchra tibi.
Mille ſepulchra ſtruit, nec ſaxea mille ſepulchra,
Nec tantos cineres ſaxea ſtrata decent.
Iamdudum mœſti tibi pectora noſtra paramus,
Mollia, nos ipſos, mille ſepulchra damus.
Saltem ſic mollem tibi præbeat Anglia ſomnum;
Sic tantùm in cineres grata futura tuos.
Sic te nos Regina ſinu, ſic ore feramus;
Quotq́; homines, tot ſint viua ſepulchra tibi.
Sed fruſtrâ hæc: namq́; Anna tui meminiſſe ſepulchri,
Tanquam mille neces, mille ſepulchra mihi.
Expirare libet; nec vox nec verba ſequuntur:
Expiro referens: EN ROGVS ANNA MIHI ES.

Anagramma. IOHANNES INGRAMEVS
Coll. Regal.

VT Ver gemmato florum diſcrimine terram
Pinxerat, & Brumæ maciem diſcuſſerat æſtas;
Tellus cum frondet, ne non frondeſceret æther;
In Cælo *Regina* viret, regnoq́; potita,
Gaudia pubentis (*Fœlix flos*) abſtulit anni,
Quâq́; triumphârat modò, poſt modò purpura ſordet.
Noſq́; ſecunda (*Doloris*) Hyems manet; æmula Brumæ
Pectore ſub noſtro rabies furit: Ecce Serenum
Ver Hyemi ceſſit. Duplex Victoria Brumæ.

Iohannes Petter Coll. Trin.

Ode.

VNus flebilium ſim quoq́; fontium,
Nec iam rara meas lachryma per genas

Ma-

Manet, quandoquidem & nos
Communis dolor attinet.
Triſtes exequias ſicc-oculus (*nefas!*)
Anna vt quis videat? proh! gemitus priùs,
Guttarumq; perennes
Fontes luminibus fluant.
Nos ſi Matris enim in funere planximus,
Aut letho comitum ſi indolui magis,
Aut vnquam ſobolem ſi
Amiſſam gemuit Pater;
Anna quin potiùs præproperum nimis
Funus, mille dolorum ſeq; imur modis?
Quæ Matris, comitumq;,
Atq; inſtar fuit omnium.
Cui nec caſta fides, nudauè veritas,
Aut vllam pietas inueniet parem:
Quam nunquam neq; rugæ
Turpâre, aut capitis niues.
Circà pectus ei eſt robur, & æs triplex,
Num & credideriim immanibus è lupis,
Noctes qui ſine multis
Securus lachrymis agit.
Illius neq; quis funera fletibus
Faxit, qui celeres (*à nimiùm!*) dies
Anna non gemit vſq;
Heu! *Anna nimium breues!*
Verùm hoc ſi minus eſt; Dij ſuperi! date
In fontem mihi mutarier ilicò,
Vnde vſq; vſq; ſequaces
Diſtillent lachrymæ genis.

Lacrymula Caroli Principis in funere Annæ Matris.

SI Niobe effecit natorum in funere flendo
Irent vt lachrymæ more perennis aquæ;
Arboris Heliades frondenti cortice tectæ

Fraternam mortem ſi magis vſq; fleant;
In triſti, *Anna*, tuo (nos *Matrem* flemus ademptam)
Funere, quis prohibet quin magis vſq; fleam?
Quippe potes *Mater* Natura nouos dare natos,
Et fratres; *Matrem* quâ ratione dabis?
Ergò, meos quicunq; videbis flentis ocellos,
Dic, *Iuſtùs cauſa eſt æqua, & iniqua mei.*

Eſt, & non.

MAnè Venus quondam cœlo deſcendit, & inquit,
Viſendus mihi nunc *eſt*; & Adonis *erat:*
Inguen rupit aper, redijt ſub veſpere triſtis,
Et, *non eſt*, clamat, *non*; nec Adonis *erat.*
Credidimus *te* ſaluam, & eras (*Ter-Maxima*) ſalua,
Grata tuæ hæc pridèm fama ſalutis erat:
Triſtior haud multò vênit *Poſt* rumor, is *eſſe*
Non ſaluam dixit, ne ſuper-*eſſe* quidem.
Hæccine mortales omnes mutatio verſat?
Eſt, mox *non*? eadem dicit, & hora negat?
Nec quidquam pietas, prudentia, ſtemmata, regna,
Profuerintuè animi candor, & alma fides?
Nec certè illa, nec hæc: Aderant in *te* omnia, morti
Nec poterant aliquam nectere iuncta moram.
Quàm benè *res* dicta *eſt*, *fœnum*, *flos*, *bulla*, caduca
Hæc *ætas*, quam vel ſyllaba ſola rotat?
Quàm potiùs vera eſt argumentatio vita?
Eſt, probat hoc aliquid; *non*, negat illud idem.
Eſt, an *non*, potior quæ ſit vox ambigo, cuiuis
Triſtior hæc, multò gratior illa venit.
Dia hanc componit litem ſapientia, iuſtis
Non eſſe in lucro eſt, ſed iuuat *eſſe* malos.
Te reducem cuperem, niſi ſic iniurius eſſem;
Non eſſe in lucro eſt; *Fœmina*, facta *Dea* es.
Noſtra ad ſummum monoſyllaba *vita eſt.*

Sic meritò mœret Le. Ke. *è Coll. Regal.*

Sic

SIc Daniam, Scotiam, ſic Olbion eſſe ſepultum
Hoc tumulo? Iliades in nuce nempe latent:
Si cor ſœmineum cœlos comprehendere poſſit,
Cur tumulus magnus non tria regna ſimul?
Es natu Danae, (quam ſemper aheneus ille
Vallabat murus, mens bona digna Ioue)
Progreſſus, Regina, tuos Albania iactat,
Omnia viuenti protenus alba tibi:
Et finem vitæ noſtrum dedit Olbion, ergo
Fœlix eſt animæ vitaq; morſq; tuæ:
Saxoniamq; bea cum noſtram corpore, ſaxis
Ornabit tumulum patria noſtra tuum.
Sed memoro quid ſaxa? dabunt tibi corda ſepulchrū,
Non tanget vermis te, neq; putre ſolum.
Atq; oculus regni ſi Chamus iure vocetur,
In lacrymas, in aquas ille ſolutus erit:
Tranſeat in tenebras *Scotiam*q: Albania poſthâc
Veſtibus in pullis, luce cadente tuâ.
Et Daniam, fratris regnum quod diuidit, æquor
Obruet, & lacrymis omnia pontus erunt.
Nempe tuum per dulce latus mors pectora Regum,
Perq; duo Regum pectora noſtra ferit:
Nec tamen hîc nobis deſunt ſolatia, regnum
Iam Regina tuum, iam diadema tenet:
Eſt etenim in cœlis Ariadnes illa corona
Gnoſſia, quæ capiti conuenit, Anna, tuo.

Deflenit Carol. Chauney Coll. Trin.

QVæ tam poma cadunt vento, quàm ſiqua colore
Alcinoum poſſunt ſollicitare ſuo?
Quæ tam exeſa perit culmos rubigine, quàm quæ
Spem mouet agricolis luxuriosa ſeges?

Sci-

Scilicet & fati ſera vis lectiſſima quæque
Eripit: & properat fata fuiſſe bonum:
Scilicet Anna iaces tumulo, quæ Regia neptis,
Coniux Regis eras, Regia mater eras:
Scilicet Anna iaces cunctis lugenda, marito
Quolibet à mundi cardine digna peti.
Heu quantum eximiæ virtutis flore reluxit!
Heu quantum reliquas anteit vna deas!
Vos ô reddatis Muſæ per carmina vitam,
Et detis dominæ ſic fine morte mori.

Rob. Auſtine Regal.

In obitum Sereniſſimæ Reginæ ANNAE

Ἀνάγραμμα.

ANNA STVARTA:
NATVRA SANAT.

PRopago, penè caſſa prole, Regia
Britanniæ, ſuâ fit ipſius velut
Ab arte ſarta tecta pœdoplaſticâ.

Ἐπίλογον.

SCoti-Angli-Dani-am, læti-diti-ampli-ficaui,
Partu, ſpe, natu, ſponſa, parens, ſoboles.
Scotia, tu thalamo: Dania, ortu: prole, Britannia:
Omnibus ô fœlix es Palatine Comes.

Ioh. Mundey Coll. Corp. Chriſt.

Temerè quod audit ſeriò vertit dolor.

POpuleam virgam mater Regina tenebat:
Sic audiſſe aliquos ludere me memini.
Infandum Regina iubes renouare dolorem:
Et ſic non nemo luxit, vti memini.

Neſcio

Neſcio quid ſibi vult ænigmatis illud: at huius
Senſum quiſque ſatis, ſi modo viuat, habet.
Omnibus eſt etenim *communis*, nec ſine *ſenſu*
Mors: ſaltem nulli mors erit Anna *tua*.

Henricus Waller Coll. Regal. Gen.

COniux, Nata, Parens, ô triplicis Anna coronæ!
Deficiente animo quoniam tua fata canendum eſt,
Ipſa mihi memora, ſacræ nunc Vna choreæ,
Funere digna tuo: mæſtiſſima namq; ſororum,
Flendo vices noſtras quia te (Regina) caremus,
Liquitur in lachrymas; ego dum ſuſpiria duco,
Corq; meum experior tantis ſingultibus impar;
Ecce cadunt imbres paulùm ceſſantibus auſtris;
Depluit vnda genis, & linguæ multa paranti
Claudit iter: volui calamo deducere pauca;
Iamq; recuſat onus lachrimis variata papirus.
Quid faciam ſine te? fruſtra nitarne, morerne?
Vt tua nil virtus, nil tanta modeſtia de ſe
Prædicet, inſequitur tua laus te, corpus vt vmbra
Dum fugit; & ſeros attinget fama nepotes
Solis ab occaſu ſolis vulgata ſub ortum.
Non tamen obmittam regali prole quòd Anglos,
Cambroſq;, Hiberноſq; Palatinoſq;, Scotoſq;;
Dana beas: vt ſexta ferat tibi regia peplum,
Quæ tam multiplici mutaſti fædere bella.
Te peperit *Scander*, *Groning* ſponſauit, & *Eden-Burga* coronauit primò, *Thornega* ſecundò;
Inter & Heroas parat hæc tibi Mauſolæum.
O Regina ſacris adiungi digna calendis!
Ingenuè fateor, Diuæ poſt Elizabethæ,
Henriciq; tui, ſemper lugenda Britannis,
Nulla mihi tantos mouerunt funera luctus.
Ergo Athamantæos fundat tibi Gallia flores;

Dania corda virum; lacrymarum hæc Inſula pontum;
Altera tabifico non vnquam tacta veneno
Mittat odoratam ſeruanda ad corpora cæram.
Voſq; lyræ lugubre melos producite, voſq;
Cerulei, rufi, & fului rugite leones,
Teſtantes populum Dominæ ſua iuſta ferentem:
Principis at Caroli, vel Rhenipotentis Eliſæ,
Vel Regis vidui, quæ narret lingua dolorem?
Exiguus loquitur dolor, aut amor; obſtupet ingens;
Altiùs & regum ferit hoc præcordia vulnus,
Quid ſupereſt? magno placuit ſi Muſa Britanno,
Hoc breue Reginæ tumulo ſuperaddere Carmen.

Sic Karoli Mater FreDeriCI Filia RegIs
SponſaqVe IakobI VItam Petit Anna Perennem.

Guil. de Inſula.

Epigrammata.

ANna adeó virtute ſua, formâq; decora
Ex cœlo vt dubites, ſit ne, vel illa ſolo.
Aſt Anna ex Mannâ eſt, & cælitus illa, quid ergo
Non nobis ſapiens cælitus Anna fuit?
Sed ſimile omne, ſuo ſimili gaudet: redit ergo
Aethereoq; micat clarior illa polo.

Laus tua ad occaſum, tua laus penetrauit ad ortum
Annâ, fuit Boreis cognita, nota Notis.
Nec mirum eſt toto quòd ſpargitur orbe: teneri
Non potis eſt vno gloria tanta loco.

T. Kent C.P.

ANnæ diues erat pretioſis arca lapillis,
Ipſaq; virtutis, dum fuit, arca fuit:

Eſſe

Eſſe ſuas voluit virtutum ſymbola gemmas,
Cum totidem fuerit mens variata bonis.
Hinc illæ lachrymæ, domus hanc quod ſaxea ſeruat,
Ciſtaq́; tot gemmas non reſeranda capit:
Quòd non emicuit ſurſum miranda ſupellex,
Et ſeſe exeruit nobiliore loco:
Emicuit; (falſis lachrymarum parcite gemmis)
Inſtar ad Electri quæ cecidere genis)
Exeruit ſeſe ſuper alta palatia cœli,
Et iuxta Henrici fax nitet alma facem:
Hi veras faciunt Arctos (iam fabula non eſt)
Et puer, & mater ſydera bina micant.

Hen. Smith Coll. Regal.

In Reginam,

Dilexit te Rex, Lex vinxit, Grex veneratur,
Te, Rex, Lex, & Grex ſoſpite, Soſpes erat.
Coniuge, Matronam, Matre, Inclitus, Orba, Petulcus,
Te, Rex, Lex, & Grex, Indiget, Efflet, Eget.

Phil. Edlin. Coll. Eman.

In Obitum Reginæ.

NOmen ter geminis tollere honoribus,
Vellem carminibus, *Femina Nobilis*:
Sed luctus prohibet verba ferox dare.
Anglorum potui fata nimis fera,
Mœſtis luminibus, plangere triſtium
Contemplans: Lachrymæ ſed nihili valent.
Omnes vna manet Nox. Sinitis tamen
Crudeles, trepidos, decrepitos ſenes
Parcæ viuere, nec parcere *Candidæ*
Reginæ potuiſtis? *Miſeræ Deæ*!

Incluſam videas perſpicuam, graui
Plumbo, mittere gemmam radios ſuos:
Sic viuet *(Patria* dulce decus tuæ*)*
Nomen funeribus luce perennius.

ANna fuit *Genetrix* tibi *Dania*, *Scotia Nutrix*,
Anglia Mater erat *(*prole beata parens*)*
Dania quam dederat, ſeruauit *Scotia* vitam,
Mater at infœlix *Anglia*, iuſta dabat.
Magna Ortu, *Maior Vita*, ſed *Maxima Morte*,
Nulla poteſt melius *Viuere*, *nulla Mori*.

flebat Guiliel. Wake Coll. Eman.

ANna (fatemur enim) Henrici poſt funera nati,
Funera turbârunt, quàm tua, nulla magis;
Quàm tua nunc virtus animo, Pietaſq; recurſat,
Quâ nq, meo infixa eſt pectore Forma, Decus?
O mihi luce magis dilecta, ô digna Iacobo
Coniux è multis ſola reperta viro!
Siccine nos linquis, ſic illum deſeris, & te
Mors totam miſero funere mergit ouans?
Nil minus; vt nati, ſic matris gloria ſurgit:
Henricus moriens viuit, & Anna viget;
Fælices ambo, ſi quid mea Muſa valebit,
Nec perdet laudes ille, nec illa ſuas.

I. Fowler.

QVualis in Idalio mollis roſa gramine, centum
Inter virgineis lilia grata thoris,
Talis in æthereo *veneranda Scientia* lecto
Inter feſtiuas nunc iacet *Ipſa* Deas.
Ipſa Deas inter iacet *Anna*; Britannia fletus
Comprime, namq; tui *Fœmina* facta *Dea* eſt.

Mar. Sherman Au. Cla. Veroſ-

VEroſne luctus tempora poſtulant,
An vana cepit fabula credulos?
Inimane quantum augeſcit, & ſe
Integrat, ingeminatq; luctus!
Lugere iamiam ſat dociles ſumus:
Mœrore nullus pænè dies caret:
Iuſtos enim nobis miniſtrat
Continuò noua cauſa fletus.
At nunc querelæ nil ſolitæ iuuant
Tantæ canentem funera principis
Maiore plectro perſonanda, &
Carminibus mage luctuoſis.
Morem dolendi vincere nunc iubet
Præſaga certi mens nimiùm mali.
Nec rumor incertus, nec author
Futilis ambiguos fefellit.
Eheu! ſeueras occidit, occidit
Experta leges (Proh nimium grauem
Iniuriam, immitemq; Paream)
Anna, ſui decus Anna ſexus;
Quà non venuſtas ipſa venuſtior,
Non ipſa Phœbi caſta magis ſoror,
Non dotibus, virtutibusq;
Nobilitata magis Minerua.
O nata tantis digna parentibus!
O ſponſa tanto coniuge dignior!
O Regium par! ô beatum
Coniugium, ſociumq; vinclum!
Verùm hæc Camænæ non capiunt meæ.
Quò Muſa tendis? Deſine Principis
Laudesq; virtutesq; tantæ
Exiguo tenuare plectro.

Ioſias Griffith Regal.

Sereniſſimæ Reginæ Annæ obitum

ſic deflenit Virgilius.

*Æn.*4.v.1. AT Regina graui, iamdudum ſaucia, cura
*Æn.*4.634 Incubuit q́, toro: dixit q́; nouiſſima verba.
*Æn.*4.637. Vixi: ------dum fata deuſq́; ſinebant. *Æn.*4.635.
*Æn.*4.499. Hęc effata ſilet, pallor ſimul occupat ora.
*Æn.*4.637. Vixi: & quem dederat curſum fortuna peregi.
*Æn.*4.688. Illa graues oculos, tendenſq́; ad ſydera palmas: *Æn.*1.117.
*Æn.*8.579. Nunc, ô nunc, liceat crudelem abrumpere vitam.
*Æn.*4.636. Accipite hanc animam, meq́; his exoluite curis.
*Æn.*4.693. Tum Iuno omnipotens longum miſerata dolorem
694. Difficileſq́; obitus, Irim demiſit Olympo
695. Quæ luctantem animam nexoſq́; reſolueret artus.
11.818. Labitur exanguis; labuntur frigida lœtho
11.819. Lumina, corripiunt famulæ, collapſaq́; membra 4.388.
4.391. Marmoreo referunt thalamo, conduntq́; ſepulchro: 6.151.
6.426. Continuò auditæ voces, vagitus & ingens
1.391. Inſequitur, clamorq́; virum, plangoribus ædes 2.487.
2.488. Fœmineis vlulant, & nos rape in omnia tecum: *Æn.*2.685.
*Eclog.*9. Penè ſimul tecum ſolatia rapta, IACOBVS
*Æn.*11.231. Deficit ingenti luctu REX ipſe-----
11.250. Procumbit ſuper, atque hæret lacrymanſq́; gemenſq́;
1.461. Multa gemens, largoq́; humectat flumine vultum
12.610. Coniugis attonitus fatis, tum cætera circum, 12.606.
12.607. Turba dolet procerum, nec ſolos tangit Atridas 9.138.
9.139. Iſte dolor, miſeræ poſtquam accepêre Latinæ: 12.604.
12.605. Filia prima manu, flauos Cantabria crines
611. Canitiem immundo perſuſam puluere turpans
606. Et roſeas laniata genas, loca queſtibus implet. *Geor.*4.515.
*Geo.*4.505. Quo fletu manes, qua numina voce moueret?
*Æn.*6.543. I decus, I noſtrum, melioribus vtere fatis.
*Eclog.*10.8. Nec canimus ſurdis, reſpondent omnia ſyluæ

Geor.

*Geor.*3.47. Et vox aſſenſu nemorum ingeminata remugit,
Ecl. 5.64. Ipſa ſonant arbuſta, furit mugitibus æther 3.151.
*Geo.*3.152. Concuſſus,pulſæ referunt ad ſydera valles
Annam,Anna æternumq́; tenet per ſecula nomen. *Æn.*6.2,6.

In annum Chriſti quotidiem obij. ſuſi Chronogramma Virgil. Aenead.10.

----At honoreM tenDere faCtIs
sIt VIrtVtIs opVs----

non eſt
Marmodoci Thompſonij
Cant. Ieſuani.

In exequias Sereniſſimæ Reginæ
ANNAE,
Ἐπιτάφιον τετράστιχον.

*R*Egina in terris vixit, *diademate* digna;
Principis, *Anna*, ſoror, filia, ſponſa, parens.
Dana illi cunas, thalamum *Scota*, & *Angla* ſepulchrum,
Cælica ſed regnum *Patria* ſola dedit.

E. F. C. C.

QVæ noua nos rerum facies habet, vnde potîtos
Cernimus humanâ conditione Deos?
Humanum quicquid, quicquid mortale creatur,
Pluto tui iuris, Perſephoneq́; tui:
In ſuperas vobis non vlla potentia ſedes;
His dolor, his mors eſt prodigiôſa locis:
Occidit Anna tamen, coniux Iunonia, & ipſi
Mæror & anxietas iam bene nota Ioui:
Defleuit Deus ille Deam, defleuit ademptam;
Ipſe ego ni flerem, flendus & ipſe forem.

M. Freman Regal.

Heu

HEu patriæ magnumq́; decus, magnumq́; dolorem
Attulit Anna ſuæ, teſtes liuentia planctu
Pectora, ſunt teſtes gemitus, ingentibus eius
Defunctæ, miſeri nos, quos modo miſimus vmbris.
De vobis autem meruit ſi talia nunquam
Anglia, Crudeles Diui; quia totq́; precantum
Millia non valuere, oro, num nos decet ergo
Eſſe pios gratis? quid, ſi vos non pudet iſtud
Immites Superi? verum (Rex Optime) quid tu
Interea? quid ſola æui ſpes illa futuri
Aſcanius? noui certè tua pectora magnis
Nunquam anguſta malis, & quamuis crebra tuorum
Funera vidiſti, nos hoc gaudebimus, illos
Non funus vidiſſe tuum; da ciuibus ergo
Sicut adhuc pacem, ac paribus primordia tanta
Accumula factis, quæ cum perfeceris, ipſe
Maius ad Imperium capiere; ſed ilicet illa,
Illa tuæ perijt mentis pars maxima; cedo,
Cedo equidem, in lachrymas, vt te decet, ito, neq́; vnquam
Dira tuum ſatient pectus ſuſpiria, tantùm
Et nati & patriæ curam ſeruare memento.
At tu quem generis lapſi ſarcire ruinas
Dant nobis ſuperi, quem olim venientia fata
Expectant Regem, quamuis non paſſibus æquis
(Non etenim ſuperare datur, quia numine nullo
Inferior tuus ille parens) veſtigia patris
Aſt aſſueſce ſequi, & cum fœdere pacis eodem
Ipſe regas populos, ſimili virtute parenti
Addas te ſocium, nobiſq́ eris alter ab illo.

Mœſtiſſimè adhortatur quàm humiliſſimè, Guil. Bonham. Regal.

INfeſtus capiti partes tranſmiſſus in omnes,
Nulla dolore ſinit membra vacare, dolor;

Lumina

Lumina præ reliquis (capitis cognatio tanta eſt)
Impendunt lachrymas officioſa ſuas.
Te caput Angliacæ, Rex inuictiſſime, gentis
Coniugis amiſſæ triſtia fata premunt:
Et tanquam ſtupidi peregrino in corpore ſenſus
Aſpicient gemitus lumina ſicca tuos?
Fundemus lachrymas, ſiccoſq; videbit ocellos
Ni tua quæ reddat gaudia, nulla dies!

Dent. Regal.

ERgone vano æther modò canduit *igne*? videtur
An magè nunc, poſtquàm tollitur ex oculis?
Oſtendit terris ferali crine Comêtam
Cœlum: ſed quem *vltrà* (proh dolor!) *eſſe* finit.
Vidimus ignifero tantùm priùs *enſe* minantem:
Iàm demùm *plagam* ſenſimus ecce grauem.
I nunc, qui radio ſpatium metirier auſus,
Scandis in æthereas (*Dædale* ſtulte) domos.
Stella hæc væ miſeris nimium vicina Britannis!
(Stellæ at nos, ſtellas fata ſuperna regunt.)
Eſto ſuprà *Lunam Reginam*; dummodò noſtro
Rege planetarum *Sole* ſit inferior.

Ed. Franklin Coll. Chri.

INuidioſa nimis Lacheſis, quid gaudia noſtra
Eripis? an cœlo non ſatis vna Venus?
Cœlorum nimium cupiens, quid deſeris oras
In luctu & tenebris, Anna beata, tuas?
Fallimur? an ſobolem præciſaq; germina mærens
Inuocat infeſtas in ſua fata Deas?
Arboris inſtar eras (Henrici nobile germen)
Contigeraſq; tuis ſydera ſumma comis:

Cum te, læthiferam librans mors sæua securim,
Turpiter infando vulnere strauit humi.
Questa tuum fatum mater pia, vulnere eodem
Expirat, cineres nunc comitata tuos.
Attonitæ casu terræ, quassataq; cœli
Machina Atlanteam sollicitauit opem.
Dij iustis gaudent: cælum donauit vtriq;;
Iuppiter, & stellas iussit habere duas.

Sam. Weale Coll. Regal.

SAt Lætho Fatisq; datum est; pars altera Regni
Anna iaces, rigidâ mortis adempta manu;
In thalamum Regis deflenda audacia Fati
Rupit, & in nullo est Parca modesta loco:
Dij seruate precor nato sua sæcla, patriq;;
Et lachrimis saltem sit modus iste meis.

Antonius Becon Coll. Trin.

FAma loquax, lemures quid garris nupèr *Iberos*?
Altera nunc *Argô*, *Tiphys* & alter; ais.
Quicquid classe minax Neptuni iactet in aulâ,
Hispanum ad portus risimus *Hannibalem*.
Sæuior in Britonas geminus iurauerat hostis;
Mors, *Morbusq;*, minans fata timenda magis.
Illa *Annam* strauit, non strauit at ille *Iacobum*:
Alter & hinc nobis Θρηνο-θριαμβος erit.

Ed. Franklin Coll. Christ.

QVi de Regina restat cinis, impleat vrnam:
Quod de Regina restat decus impleat orbem.

Guil. Hodgson Coll. Pet.

Exixe

Επικήδειον.

Ἄγγλια καὶ Σκοτιὴ Δανιὴ τε φερέσβιος αἶα
Ἄννης κυδίστης βασιλίσσης τῆς Ἰακώβου
Βριττῶν σκηπτούχου ὄαρος πέρι δῆριν ἔθεντο.
Ἤρξατο μὲν Δανιὴ ἐθέλουσα τὰ πρῶτα φέρεσθαι.
Πατρὶς ἐγὼ ζείδωρος ἐφίμερος εὔχομαι εἶναι.
Ἡ Σκοτιὴ, γαμέτην ἐφύτευσ' ἡρώϊον αὐτῆς.
Ἄγγλια, ἐνναέτις νῦν ἔπλετο κυδιάνειρα
Ἔσται δ' αἰὲν ἐμοῦ, τοὐμὸν πέδον ἥδυμον Ἄννῃ
Ταῦτ' ἐπάκουσα Δίκη πάρεδρος Ζῆνος μεγάλοιο.
Ἥπερ πάντ' ὁσίῃς αἰεὶ πραπίδεσσι βραβεύει,
Ἠδὲ νέμει πάντεσσι θεόσυτον ἴαχε φωνὴν.
Μαψιδίως μῶραι, κείνης πέρι δηριάασθε.
Οὐ γέρας ὑμέτερον τόδε γ' ἐς ἢ πατρίδ' ἀκούειν
Ἠέ τι τῶν ἄλλων. Πατρὶς οὐρανος, ἐν δὲ πόλοισι
Νύμφιός ἐς' ἐρατεινὸς, Ὀλύμπου ναιέτις ἔσται.
Ἦ ῥα καὶ ἐμμαπέως Μοίρας ἐκέλευσεν ἀμέρδειν
Ζώης μὶν λυγρῆς, αἵδ' αἶψα πίθοντο θεαίνῃ.
Νῦν δέ τε οὐρανοφοιτὶς ἕην ἄψορρον ἵκανε
Πάτρην, καὶ γαμετὴ χριστοῦ πέλει ἱμερόεντος
Νυμφίου ἡ βασίλεια, καὶ οὐρανον ἀγλαόμορφον
Ναίει, καὶ ἐν τῷδε μενεῖ αἰώνιος Ἄννα.
Χαῖρε μάκαιρα ψύχη καὶ ἀγάλλου εὐφροσύνησι
Αἰὲν, ἐπουρανίης τιμῆς παρὰ θεοῖσι λαχοῦσα.

ΙΛ. ΒΛΑΓΚΟ'Σ
Συστήματος τοῦ Γαίου καὶ Γουνβέλλου.

ANNA STVARTA OBIIT:
NON ARS VITA AT ABIT.

An m- Reg- ? ann- *Ann-* d- a?
oritur ina Brit- is *a* olend
Anna div- ; Angl- *Iôu-* c- us.
Dania quid quereris? Regia nata tua
Anna est diua: deam te genuisse dolet?

G. W. Coll. Em.

ERgòne vilescunt diademata? & ergò putrescunt
Maiestas & amor? Nihil ergò stemmata habebunt
Iuris in extrema æternarum fila sororum?
Nil series regum? Quid iam sperabimus vltra?
Cum spectata fides, cum mens non læua, tot anni,
Proles tam numerosa, sed & tam nobilis, & quæ
Inuidiæ fati non intentata nitebat,
Cum studium vulgi, cum quæ bona sexus habebat
Vnâ mole ruunt, atq; insatiabilis orci
Victima reddantur barathro: Nilne ergò manebit?
Corruat humanum potius genus, ardeat æther,
Exiccentur aquæ, terræ nec gleba supersit,
Atq; extinguatur penitus toto ignis Olympo,
Quàm decus, & virtus, & honos, corrupta iacerent.
Vos igitur magni manes, quos occupat vmbra
Mortis, & æternum quorum sunt lumina clausa
Parcite; Tuq; ingens anima in quâ nulla relicta est
Spurcities sordis terrestris, parcito, quicquid
Me dolor, atq; pia vrgebant vesania fari.
Nectare tu frueris cœlesti, vesceris aurâ
Aetherea, & diuino impleris tota Nepenthe.
O tu ter fœlix atq; amplius, hos tibi summus
Iupiter optatos merito libauit honores,
Et tibi dant tua fata epulis accumbere diuûm.

R. Constable Caio-Gonvill.

SOlus ego officio vt desim? neq; carmina raptæ
Nec lachrymas reddam? Dij prohibete nefas;
Solus at officio desum, atq; deesse necesse est:
Non lachrymæ inueniunt, non mea verba viam.
Quis mihi Apollo dabit verbis æquare dolorem?
Quis dabit in lachrymas flumina multa meas?

Came

Chame veni, triſtesq; omnes in littore Muſæ
(O pater atq; nouem, numina noſtra, Deæ)
Vos triſtes elegos, lachrymas tu, Came, miniſtra,
Tantæ vrnæ officij dona ſuprema date.
Ah fruſtrà quoties elegos Lachrymaſq; rogaui?
Nempe negant Muſæ carmina, Chamus aquas.
Quod mihi muſa negas, inuitâ dico Mineruâ:
Quod mihi Chame negas, do tibi: *Scribo, Fleo.*

R. Kil. Coll. Regal.

IN nitido nuper cœlo noua ſtella ſuborta eſt:
Quæ regina fuit, iam noua ſtella manet.
Ah tellus tali reginâ indigna! ſereno
Cœlo progenies debita ſemper erat.
At fælix, Regina, tua eſt mutatio: terram
Contemnens humilem, ſydera ſumma petis.

Chriſtoph: Cartwright Coll. Pet.

Britannia inundatio.

Ὀλβιον, infelix! Albania, nigra! fuiſſe
Quid prodeſt cunis *alba* natatitijs?

APpagè fortunam: *Fortunata Inſula* quondam,
Heu cepit niueas nuper habere comas:

Namq; pruinosâ caneſcit Aprilis ariſtâ,
Et guttam lacrymas fundere quamq; putes.

Veſtæ ergò mactate Angli: quę flumen aquarum
Fudit, vt in gremio molliùs Anna cubet.

Intimè defleuit Guliel. Booth
Coll. Ieſ. Cant.

Tetralogia Elegiaca.

Dania Scotia Anglia Poeta
Clotho Lacheſis Atropos Moder.

Da. ATq; equidem perijt? *Sc.* Perijtne quid *Anna*? *An.* Periuit
Anna. *Da.* Mea *Anna* peris? *Sc.* Num peris *Anna* mea?
Da. Num perijt mea virgo? *Sc.* Perit mihi nupta marito?
Ang. Nupta quid? aut virgo eſt? Regia mi perijt!
Sc. Regia mi? Regina mihi. Cur Anglia iactas?
Ang. Iactem ego? Reginam flemus vtræq; ſuam.
Da. Quid fletis? natale ſolum ſibi vendicat, illam
Defleo; ſic ſobolem patria chara ſuam.
Poet. *Clotho* parit, lactat *Lacheſis*, licèt *Atropos* occat,
Hæc ſobolem, hæc nuptam, quam facit illa deam.
Anna Perenna ſuis Romanis numen: & *Anglis*
Scotis atq; *Danis*, *Anna*, perennis erit.

Parcarum dolus & virtus.

Dum genus & formam fatum miratur, & hæret,
Fœmina ſeu fuerat, ſiue erat, Anna, dea,
Non ſubitis tentare malis mors auſa, ſed hauſit
Corpus, vt hinc animam cerneret, anne deam.
Deformat pulchrum, macie male callida, vultum
Ne poſſet duras flectere forma deas:
Exeſam fugit *Annæ* domum, mors profuit hoſti,
Quærendo an fuerat, fecerat eſſe deam.

Ergo tibi cœlum, mors, nobis tartara, certant
Damna, decus; lis eſt; illa mea, illa meum.

Extremum luctus
occupat
Marmadoc. Thompſon.
Cant. Ieſuan.

Re-

REgalis *Anna* modò tori conſors, cubat
Nunc molliùs ſublimiori thalamo.
Quod nulla poſſet *culpa vitæ*; vinculum hoc
Violat iugale *mortis* (heu!) nimiò ocyor
Neceſſitas. IACOBVS haud *viduus* tamen.
Quin geminæ adhuc illi ſuperſunt coniuges:
Eccleſia vna eſt, altera eſt *Reſpublica*:
Par nobile, & ſinu fouendum Regio.
Mactè hac *bigamiâ*, Rex: ad *Agni nuptias* Apoc.19.9.
(Quas ô moretur Summus ille *Hymen* diù!)
Donec vocatus eris, dehinc *Sponſa nouæ* Apoc.21.2.
Sociandus in ſuperiori cœnaculo.

Ed. Franklin. Coll. Chriſt.

Ἄννα ἄνω ἄγαννα.

NOn cœli, at cœlo Regina eſt, ſexui vtriq;
Lex tribuit regnum cœlica, non ſalica.
Et quis erit flendi finis? Nutritia mater,
Noſtræq; illa ferax Anna ſalutis, obit.
Seruatorem orbis communem enixa Maria eſt,
Regni Σωτῆρας nec minùs Anna tulit.
Te per aquas tranſuectum excepit terra Britanna,
Ne ſine aquis abeas, Anna, fluunt oculi.

In φλεγόμενον nuperum huius funeris
προγνωστικὸν.

Qui luſit gentes, noſtræ eſt non futilis ignis.
His honor, & volupe eſt ſe ſatiare malis.

Ægid. Baden. C.C.C.

Stra-

STratam Deorum progeniem, & truci
Vmbris adactam funere vidimus,
Deosq; (sic fama est) minores
Horribili occubuisse fato.
Desiderantes ponere si pudor
Iusto dolori nos sineret modum,
Sors æquior ducenda, ijdem
Quòd superos habuere casus.
At te peremptam nemo satis fleat,
Venusta Pallas, castior & Venus,
Quam dij nimis, diuæq; amatam
In superas rapuere sedes.
Tu *Phœbe* terris qui reuocas diem
Æternùm oberres nos vice *coningis*,
Horrenda ne nox insequatur
Postea deficiente *Lunâ*.

Leonard. Poe Coll. Regal.

CYnthia lucifluo coniungitur aurea Phœbo:
Phœbeo in terris coniux fuit Anna Iacobo:
Eclipsin patitur Phœbe; sic deficit Anna:
Phœbus in orbe micat: Sic splendet in vrbe Iacobus:
Luna præest vndis: lacrymas tulit Anna Britannis:
Sol radijs vndas siccat, splendore Iacobus.

Richard. Culmer Coll. Mag.

LVmen in occasum descendens duplicat vmbras
Henrici lacrymas duplicat iste dolor:
Sic
Infandum regina iubes renouare dolorem.

Vmbra

Vmbra ſui ſequitur veſtigia ſemper opaci,
Regius eſt noſter, regis at ille dolor:
Sic
Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Guliel. Banckes Coll. Ieſu.

Conſolatio lugubris.

ET ſoror, & frater, raptâ qui matre doletis,
Et deſiderio fletis vterq́ pio:
Parcite ſingultu tam ſacros lædere manes,
Elyſijs vetat hoc, illa recepta, choris.
Illic iucundis Sanctorum amplexibus hærens,
Præcipuè Henrici conſpicit ora ſui:
Conſpicit & teneram, quam terra Britannica, prolem
Fleuit, in occaſum dum ruit ante Diem:
Sacræ animæ! haud vobis noctvrnis præſcia flammis
Monſtrârunt properam, cœlica ſigna, necem:
Matris at occaſu, gelidi micuere Triones,
Spectârunt tremulas pigraq́; plauſtra faces:
Sic alij ad cœlum clam conſcendêre Prophetæ,
Igneus Eliæ dummodo currus erat.
Ergo cum charâ ſua nunc veſtigia prole
Iungit, & Elyſium ſic terit, alta, nemus.
Quò iam pro lachrymis fragrantes vrite odores,
Et digito Orpheâ plangite digna lyrâ:
Non quâ Infernales ſupplex conceſſit ad vmbras,
Tartara flebilibus dum premit atra modis:
Sed quâ diuorum laudes, animasq́; canendo
Heroum, cœlo ſyderibuſq́; locat.
Has mitti inferias, hæc vult ſibi funera mater,
Ipſa ſibi has lachrymas, hæc ſibi buſta rogat.

Tho. Louering Aul. Pem. Incept. in artib.

Obijt Sereniss. Regina Anna primo die
Martij.

FLorifer *Aprilis* cum nondum protulit imbres,
Tam citò mirabar nasci de semine flores;
Sed tandem, *Regina*, tuam dum fleuimus vmbram,
Subrisit nostri decepta errore doloris
Terra Parens; quæ, quòd lacrymas effudimus istas,
Effudisse suos *Aprilem* credidit imbres.

March, 1.

'TIs not yet May, nor yet are Aprill showrs,
And we admire the Springs so early Prime,
And 'cause we see in Fields the smiling Flowrs
Write Month of May two Months before the time;
But windie March still rownds it in our eares,
That Earth is sure mistaken in our Teares.

Yea rather proud of our illustrious Queene,
(Whom we, alas, no longer time can keepe)
And 'cause in Blacke we mourne, will maske in Greene,
And smyle the while Shee sees vs throbbe, and weepe,
Or if not so, nor Teares are tooke for Showrs,
The Flowre *of* Queenes *is then the* Queene *of* Flowrs.

Fayre Queene *of* Flowrs, *to thee the Birds doe sing,*
But did they knowe our Griefs, would weeping say,
Thy too soone Ashes make too soone a Spring
Before the Month of Aprill, and of May,
For ere May comes, our Cryes, Teares, Aprill Showrs
Will marre their Tunes, and drowne the smiling Flowrs.

Richard. Cole Regal.

Chronosticon.

ANgLICa regInæ fatIs pIa tVrba IaCentIs
Mœret & Ipsa Cadens fLet deCVs hoC patrIæ.
Theod. Iacomotus Geneuensis.

De

De imbribus Aprilis.

PRincipit (hèu) tantæ, lachrymis nè buſta carerent:
Fluxit ab *Aprilis* plurima gutta genis.

Chronogram. MDCXVIIII.

CoMeta tIbI tVa præDIXIt fata.
ANNA; tuæ mortis cui non cognoſcitur annus?
Cum tVa præDIXIt fata CoMeta tIbI.

Anagram. Anna Regina Stuarta
An ruis gnata renata?

Es, Regina, vt eras: verùm inferiore relicto
Regno, *Anna*, in melius, *gnata renata, ruis.*

Wilſhaw. C. P.

Proſopopœia Virgiliana Regis Daniæ ad defunctam ſororem ANNAM *ſereniſſimam Angliæ Reginam.*

Æn.4. ANNA *Soror, quæ me* ſuſpenſum *inſomnia terrent?*
Quæ noua de veſtris diſceſſit *ſedibus hoſpes?*
Quàm ſeſe ore ferens? quàm pulchro *pectore & armis?*
Credo equidem (nec vana fides) genus eſſe Danorum.
Anna, fatebor enim, læſo per fata Nepote
Henrico, & binis funeſtâ morte peremptis
Neptibus, haud facilè *ſenſus animumq́, labantem*
Compoſui; verum vſq́; ſoror tua funera flebo:
Et mihi percupiam cùm *tellus ima dehiſcat,*
Tùm *Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,*
Ni memini, Germana, tui pia pignora amoris,
Tuq́; meos, quæ prima tibi me iunxeris, ignes
Ipſamet vſq́; tenes tecum, *ſeruaſq́, ſepulchro:*
Sic fatus, gremium *lachrymis implenit obortis,*

Eiusdem Regis Epitaphium.

NVm *Veneris* tumulus? *Veneris:* nec Cespite tecta
Sola *Venus*, simul hîc *Pallas* humata perit.
Palladis hic tumulus? rectè, nec sola sepulta
Pallas, in hoc tumulo Regia *Iuno* iacet.
Ergo *Deas* perijsse putes? ita credo perire
Posse *Deas*, potuit si Soror *Anna* mori.

Ios. Nayler in Art. Mag. Coll. Syd.

DIues opum, diues *gemmis* (Regina) fuisti,
Plurima sunt *gemmis* Regna beata tuis.
Gemma datur nobis *Charissima*, CAROLVS; illa
Gemma nitens, *oriens Sol* velut orbe suo:
Gemmea iamdudum *Germania* iure vocaris:
Quantiuis pretij est *vnio* missa tibi.

Gemmea, te viuâ, Regna hæc dixere; sed heu
Gemmea quæ fuerant nunc *gemebunda* manent.

Rob. Lukyn Aul. Pemb. Art. Mag.

Artium expirantium querela, super obitum Illustriss. Reginæ Annæ.

SIc, vbi fata vocant, victrice per ilia flamma
Vltima cum gemitu verba resoluit homo.
Funde tuos quæque ars & verba nouissima questus
Exarsûra tuis, *Anna*, deinde rogis.
Gram. Deficiente animo nec vox nec Verba sequuntur:
Nescius ista dolor damna referre, silet.
Logic. It Stygios Ratio furijs agitata recessus,
Dum sequor, ah, tua quàm longa, carina, mora est?

Multa

Rhetor. Multa parans, hæret Rhetor veniamq́; requirit,
Quælibet infandis ars ſtupet acta malis.
Muſic. Diſcordes ego necto modos, iubet ira, dolorq́;:
Irriguam ſtupido pollice ſcindo chelyn:
Arith. Quæ iacto immenſam ſine fine potentior artem,
Quanta eſt iam numero pars mihi dempta meo?
Geom. Aſt ego, dum terras quæro, maria vndiq́; cerno:
Tanta oculis, pelago largior, exit aqua.
Aſtron. Arctoas ego dum luſtro ſine nomine ſtellas
Præ reliquis fulgens lux mihi viſa noua eſt:
Aſpectuq; nouo ſtupet ars, & turpiter hæret;
Quid terris meditans aucta Corona ferat.
Viue, tuos *Atlas*, & ſydera ſuſtine & orbes,
Ne clades orbi dent noua fata nouas.

Tho. Clauering Regal.

VNde repentino mœrens gemit Anglia luctu?
Muſarum cur ſacra cohors ſic ſqualida vultu,
Sciſſa comas, pullo ſic mœſta incedit amictu?
Cur ſic muta Chelis? cur ſic lachrymabile carmen
Ingeminat Phœbus, cytharâ reſonante querelas?
Tanti huius rogitas quæ luctus cauſa? beatam
Corporis atq́; animi quam nos modò dotibus Annam
Vidimus, en vitam fatis conceſſit iniquis,
Et terras, heu nunquam reditura, reliquit.
O funus nimium triſte, o lugubria fata!
Nuper vbi Eliſæ dulces ſcidit Atropos annos,
(Infandum) quantis reſonabant planctibus ædes?
Eliſam flêrunt matres, ſanctæq́; puellæ;
Ingemuere etiam Charites, luxêre Camænæ.
Aſt vbi ſpes Britonûm Henricus, Romæq́; ruentis
Terror, pallentes Erebi deſcendit ad vmbras;
Tum certè dixi luimus peccata, nec vltrò
Sæuiet offenſum numen; iam ſe quoq́; fata

Abripiunt, veteresq; nouo dant funere luctus.
Quæ nos fata manent? quis nos manet exitus? eheu
Parcite iam superi; nimium reserata sepulchra
Claudite, & afflictæ faciles succurrite genti.
Verùm O coniugio quondam dignata superbo,
O dea per totum meritò venerabilis orbem,
Num tua vel pietas, animi vel simplicis index
Candor, fama, decus, diuina & regia virtus
Ista iacent vno tecum tumulata sepulchro?
Absit: perpetuis, Nymphe, te laudibus ornant,
Et tecum illæsa hæc, perq; omnia sæcula viuent.
Funde, tuâ, lacrymas, orbata Britannia matre,
Atq; vnà extremum tumulo soluemus honorem.

Iaco. Willot Coll. Regal.

QVi modò Camus Isin, Thamisin modò vicerat vndis,
His nunc vt Thamisi, sic quoq; cedit Isi:
Vnde fit? Hinc: Vndis dum vicit Camus, ouando
Scilicet & Thamisin & superauit Isin:
Nunc exiccatur dominam lugendo, dolore
Vt quoq; sic Thamisin, sic quoq; vincat Isin.

Rob. Austine Coll. Regal.

PRodigium saltus! festis saltare diebus
Quis solitam ad cœlos prosilijsse putet?
Non mirum est, si mens saliens diuinior, astra
Assequitur: non est igneus ille vigor?
I, fuge nata Deâ, te nobis eripe, (flamma
In gremio lunæ tanta latere solet;)
Pythagoræq; modos in cœlo discere possis,
Et numeros forsan iam renouare tuos:
Iunge tibi Phœbum, peragres duodenaq; signa,

Albi-

Albior eſt pedibus lactea tacta tuis:
At nunc obſcuræ valedicas Phœbe Dianæ,
Clarior ad cœlos Cynthia noſtra fugit.
Anna tamen faxis, quòd, motu cùm regis annum,
Sit Regi influxu vita beata tuo.

Carol. Chauncy Art. Mag. Coll. Trin.

Paulum depoſita proteruitate,
Et nugis nucibuſq; derelictis,
Ad non officium locumq; veſtrum
Adeſte Hendecaſyllabi adeſte.
Vos nam lucida vel iuuant theatra,
Quà riſus faciles, iociq; nullo
Vibrantur temerarij veneno,
Vel regnans roſa, vel furens Lyæus,
Cum mentem Mareotico madentem
Excuſſit trepido, polumq; votis
Et Phœbi rapidos dei iugales
Ah non fœmineis modeſtuliſq;
Incuſſus petere incitauit Euan.
Nunc alter labor aduocat, dolendum eſt,
Quamuis ingenio dolor repugnet
Veſtro forſitan, attamen dolendum eſt,
Heu fruſtra teretes leuesq; quondam,
Pullo ſyrmate res gerenda muſæ eſt.
Annam ſtemmate Regio decoram,
Annam fratre, viro, parente claram,
Annam prole, virûmq;, fœminûmq;
Magis matribus omnibus beatam,
Vnam tot titulis ſuperbientem,
Formaq; ingenioq; præpotentem,
Comptam moribus Elegantijſq;,
Cultam partibus, artibuſq; fultam,
Centum dotibus expolitam ad vnguem,

Quam

Quam ſermo Italicamue Gallicamue,
Quamuis præterea duas teneret
Linguas dædala, dedicare poſſet,
Annam (quod caput eſt honoris omnis
Omnis nobilitatis inſtar) Annam
Inſigni pietate candicantem,
Nec longi domitam labore morbi,
Diuinis patientijs ſcatentem,
Sanctæ diſcipulam Crucis magiſtræ,
Falſi gaudia ſæculi peroſam,
Et CHRISTI ſtudio ſui peruſtam,
Annam funere præcoquo peremptam,
(Iepthæam veluti per hirta natam
Errauiſſe ferunt & arua & antra,
Ætatis breue ver ſuæ querentem)
Annam (proh ſuperos) repentè raptam,
Annam ſed ſuperis quoque expetitam,
Nec cuiquam hinc ſuperis niſi videndam,
Annam mille modis vijſq; charam,
Non ſolum tetricæ, ſed & iocoſæ,
Quoquo nomine, ſeu profeſſione,
Obnupto capite, in ſolumq; vergæ,
Turpes pulueribus, ſitu indecoræ,
Omnes inſimul indolete Muſæ.

Henr. Hewgraue Regal. Collegij Vicepræpoſ.

Epitaphium.

HÆc vatum vox eſt: vita eſt ſine fine Deorum.
Sed vatum vox eſt, nil niſi ficta ſonat:
Ecce cadit triplex in ſolo hoc corpore numen,
Sceptro, animo, formâ, Iuno, Minerua, Venus.

Paulus Pruijs Amſterdamenſis Belga.

Si

SI puer Aſtyanax patrem plorauit ademptum,
Flumine per teneras vlq; ruente genas:
Si doluit Priamus tum cùm ſqualentia tabo
Corpora natorum vidit habere rogos:
Solue, precor, mœſtos Elegeïa mœſta capillos:
Ah nunc te verum nomen habere patet!
Eſſent ô vtinam centum mihi lumina! ocellus
Non ſatis in lachrymas vnus, & alter erit:
Eſſent ô vtinam tot flumina lumina centum!
Manarent lachrymæ more perennis aquæ:
Inter præſtantes mater celeberrima matres,
Inter Reginas, heu iacet Anna, Dea!
Hanc olim Cimbris tellus habitata iacentem;
Hanc Scotia; hanc lachrymans Anglia tota gemit;
(Anglia tota gemit lachrymans, luctuq; ſororem
Et lachrymis longè vincit vtramq; ſuis:
Sic & arenoſum Thamiſin ſine nomine riuos
Exiguos vitreis vincere cernis aquis:)
Hanc Dania & natam vidit, factamq; puellam,
Hanc vnam thalamis dignam, Iacobe, tuis:
Hanc Scotia & nuptam, & matrem factam; Anglia vidit
Factam auiam: ô vtinam facta fuiſſet anus!
Cernis vt humectet lachrymis Iacobus ocellos?
Carolus indignas irriget imbre genas?
Alter conſortem thalami, matrem gemit alter:
Ille dolet verè, nec minùs ille dolet:
Sic pius Æneas amiſſam forte Creuſam,
Sic puer Aſcanius fleuit, vterq; dolens.
Reginam proceres, Reginam ignobile vulgus,
Reginam iuuenes, inualidiq; ſenes;
Reginam mœſti pueri, mæſtæq; puellæ,
Reginam matres flent ſine fine ſuam:
Fallor? an humectant ſubiectam flumina terram?
Non fallor: lachrymæ fluminis inſtar eunt.

En salsos riuos madefacta per ora fluentes:
En vestes verno sicut ab imbre graues:
Aspice inornatis vt eat pia turba capillis,
Et feriat rigidâ pectora nuda manu:
Aspice lugubres vultus iuuenumq;, senumq;,
Oraq; Threïciâ pallidiora niue:
Memnona sic mater, sic mater luxit Achillem;
Nec flexit triplices illa, vel illa Deas:
Scribimus, & lachrymæ comitantur singula verba:
Sed nil heu lachrymę, mœstaq; verba iuuant!
O duram Clotho! tibi pectus ferrea moles:
Cur tua cessauit dextra tenere colum?
O duram Lachesin! cur nebas staminà curta?
Credo equidem silices pectus habere tuum:
O Atropon, crudelem Atropon! cur stamina vitæ
Candida sustinuit rumpere dextra tua?
Ex re nomen habes: non te licet aurea dona,
Aut forma, aut virtus ipsa mouere potest:
Credo equidem; siquid valuissent aurea dona,
Siquid, quæ potuit, forma, decere Deam:
Siquid virtutes cœlesti pectore dignæ:
Regina incolumis, patria læta foret:
Non esset tibi nunc coniux Iacobe dolenda:
Non esset mater Carole flenda tibi.
Illi certatim tria numina dona dedêre:
Ipsa Iouis coniux, Pallas, & alma Venus:
Reginæ nomen Iuno Regina deorum,
Purpureasq; stolas, diuitiasq; dedit:
Alma Venus formam: formâ non Tyndaris illam
Vicit, quæ populos mouit ad arma duos:
Pallas vtramq; Deam vicit, velut astra minora
Phœbe: virtutes Pallas habere dedit:
Duceret Anna licet genus alto à sanguine regum:
Virtutum vicit nobilitate genus:
Forma licet posset diuina externa videri:
Virtutum formâ non fuit illa prior:

Heu!

Heu! vbi nunc, Regina deûm, tua munera Iuno?
Heu! vbi nunc, Venus, eſt, quæ modò, forma, fuit?
Forma bonum fragile eſt: perijt cum corpore forma:
Diuitiæ dominam deſeruêre ſuam:
Reſtant virtutes, Pallas, tua munera: Parca
Inuida in has potuit iuris habere nihil.
Anna, tui pars vna iacet: pars altera viuit:
Altera pars dempto fine ſuperſtes erit:
Corpus terra, animam ſtellantis regia cœli
Pura tenet: famam Muſa perire vetat.
Mæonidem ô vtinam vatem ſortita fuiſſes!
Hîc mea me tenuis Muſa tacere iubet.

Radulphus Winterton Coll. Regal.

CVi cura incubuit Belli, cui Pacis, Eliſam
Longæuam fœlix Anglia vidit anum.
Publica quam nunquam ſic Res exercuit, Anna,
Te queritur triſtis tam citò velle mori.
Hoc ſolatur; Idem columen *Tu Prole* Britannis,
Illa quod *annosâ Virginitate* fuit.

Ri. Dugard Coll. Sid. Socius.

SIecine credibile eſt moriaris vt Anna, dieſq;
Morbus vt infœlix auferat ante diem?
Nil medicæ potuere manus, nil Pharmaca, & herbis
Nullæ inſunt vires? Ars tua Phœbe iacet.
At conſultò aberat, medicorum numen, Apollo,
Et tantæ voluit conſcius eſſe necis.
Vt culpam redimat, Muſas ad funera cogit:
Sic vitam eripuit, rurſus & ipſe dedit.

Io. Wol. Coll. Regal.

VIta, dies trifidus, tua: ſed (Regina) ſecabant
Tàm *tria Regna* diem, quàm *tria Fata* tuum.
Dania vult *Ortum*, *Medium* ſibi *Scotia* poſcit,
Occaſum infœlix *Anglica* terra dolet:
Has vitæ *partes*, hæc & tria *Regna* relinquis,
Quæ *quarto*, *quarta* eſt illa perennis erit.

Guiliel. Greenbill in art. bac. Coll. Sid.

DAnica quod poterant pretioſi tradere regna,
Quas conferre tibi Scotia nouit opes:
Iſta ſuo in gremio tibi condidit omnia terra
Anglica, diuitij (heu!) nimis aucta tuis:
Dana tibi tellus vitam dedit, abſtulit Angla,
In vitam ſurges hinc tamen, Anna, nouam.

Olliph. Leigh Regal.

Dolores leues loquuntur, ingentes ſtupent.

VIncitur ingenti luctû *Vincentius*; & vix
Præ lacrymis patitur me mea *Muſa* loqui.

Flens ſtupet *Nat. Vincentius* Regal.

FLoruit Angliaco vitis nuperrime in horto;
Fructibus ecce dapes, frondibus ecce decus.
Vita fuit Muſis hæc vndiq; viuida vitis,
Fauit & vmbra virens, fouit & vua vigens.
Anna fuit vitis; diuinaq; nectara fudit,
(Anglia fauſta! tibi nectare vita fuit.)
Nectare iuſtitiæ dulci, pietatis odore

Cun-

Cuncta replere ſolet, more & amore ſolet.
Vitis erat, nitidæ turgent è palmite gemmæ;
Gemmæ, quæ ſplendent laude, lepore nitent.
(Aſt infauſta nimis, nimis Anglia!) falce reſectâ
Annâ vite tuâ, mortua vita tua:
Mortua? quid dixi? ſpes reſtat: pampinus extat
Diuinus Carolus, ſpe nutrit, ornat, alit.
Floreat ac vlmus ſacra ſuſtentacula vitis
Iacobus, Muſis vmbra, ſerena ſalus.
Floreat vrbis, & orbis honos, celſiſſima mundi
Gloria Iacobus; floreat orbis honos.

Rich. Cole Emmanuelis Coll.

FRonde nemus malè nudat hyems, in palmite gemmæ
Vere tument: verno tempore cuncta vigent.
Anna liguſtra ſonat *(fonti ſi credis Hebræo:)
Num perijſſe nouo vere liguſtra ſolent?
Non perijt Regina, tamen perijſſe videtur,
Vt roſa, quæ ſucco deficiente cadit.
Dum Sol iuſtitiæ radijs illuminet orbem,
Et noua viuificum ſpargat in arua iubar:
Perpete tunc moriens reuireſcet flore liguſtrum,
Et lætum verno ſole reſurget humo.

*Schindlerus in Lexico pentaglotto.

Edmundus Bell Coll. Sid. Soc.

C*Andida tecta* Iouis dudum dilexerat Anna,
Nunc adijſſe iuuat; nempè *columba* fuit.

Geo. Guy Coll. Syd. in Ar. Bacch.

VNa duas Dominas ſors abſtulit, abſtulit vnus
Annus, & has comites mors dedit vna duas.

Anno etiam 1618. mortua est Viennæ serenissima Cæsareæ Maiest. conjux ANNA. Mercur. gallobel. ann. prædicto.

Cæsaris vna fuit, fuit altera chara Iacobi
Coniux: *Anna Prior. Posteriorq;* fuit.
Anglia postremam plangit, gens extera primam:
Flet plaga nostra *suam*, tuq; *Vienna tuam*.
Utraq; gens *Annam* flet durâ morte peremptam,
Ne careat lachrymis *Anna* dolenda suis.

Io. Heyne Coll. Sid. Soc.

FOemina venisti mortalis, (regia proles)
Cùm primùm visa est terra Britanna tibi:
Immortalis abis, vehericq; per æthera magnum,
In primâ excelsi sede locanda poli,
Quidnam ego nunc faciam? non te plorabo remotam,
Quamuis innumeris digna diebus obis:
Sed magè lætabor, quòd terris (Diua) relictis
Parte tui cœlos iam meliore tenes.

Abrahamus Whelocus Coll. Trin.

INfandum Regina iubes mitissima rerum
Versibus attonitum mundo vulgare dolorem
Et quem flemus adhuc. Tardè tam vasta, cicatrix
Integit, & tanquam coïtura Machaone nullo
Semper in inuisas laxantur vulnera mortes.
Sed tamen experiar. Nec ceu per singula vadens
Interea rerum capita, argumentaq; laudis
Diua tuæ; sunt quæ è medio dimittere censu
Possumus, & nullo silentur plerasq; damno,
(Curta tibi mensura, vacent nisi plurima, famæ est)
Ad *morbos* venio, metamq; ex carcere pulso.
Ergo vbi iam nullâ finem minitante senectâ,
Fortis adhuc, multosq; solens durare per annos
(Cerne precor rebus quæ sit fiducia nostris

Et

Et iam maiores mundo ſpes concipe) nervis
Deficitur Natura ſuis, nec pharmaca poſſunt,
Nec Baiæ (quid enim Baiæ vel pharmaca poſſunt
In præceps agitante Deo ?) ſuccurrere tantum,
Prouida, nec vitâ non huc intenta priori,
(Vt tamen incumbat multò nunc gnauius,) omnem
Abducens terris curam, ad cœleſtia vertit.
Ceu quum forte duæ tenduntur pondere lances,
Vel placido frugum, vel ſiccæ pondere lanæ,
Quò magis inclinans terram petit altera, tantò
Purior & liquido propior micat altera cœlo:
Sic animus corpuſq; olim; peiore ruente
Pars ſurgit melior, creſcunt per damna ſalutes.
Quid maciem curaſq; loquar, populataq; tabe
Ora, nec antiqui patientia corpora motûs,
Et nullo ſomni traductas munere noctes ?
Addidit & lachrymas, lachrymæ ceu fonte perenni
Ambroſijs manare genis, & flumine viuo
Purgari ſenſim fati commiſſa ſiniſtri,
Si qua tamen, fluctuq; premi pelagoq; dracones,
Atque iterum rubrâ Pharao conſundier vndâ.
Vnde autem, ſi forte roges, vel quis dedit iſta ?
Haud monſtrare labor. Non omnes omnia glebæ
Sufficiunt, rectoq; homines veroq; (fatendum eſt)
Naſcimur auerſi, & durâ ad cœleſtia fibrâ.
1 Sunt tamen (& nullis quàm *genti* pronior *aureæ*
Regna locumq; ſuum moderantibus) ordine miro
Quos pater è medio ſecernens agmine rerum
Imbuat, & læto perfundat plurimus imbri.
2 Cui licet & *patriam* annumeres, teneroſq; ſub annos
Sancta rudimenta, & nullo polluta tyranno
Danica, qui Reges ſolijs depellat auitis,
Ilicet & CHRISTVM, atq; erroribus inquinet orbem.
3 Nec tamen his titulis aliena Britannia noſtra eſt,
Forſitan & reliquis plus vendicet; vt tua PRAESVL
Hîc habeant conſulta locum, quæ cœlica ſpiras

Prime

Prime loco Præsul; fandoq́, simillime Diuis.

4 Te quoque visa sibi inprimis gaudere magistro est,
Lætior vt nulli sermonibus applicet aurem,
Quem medio distincta lacu, *Lambethide* Nympha
Seuocat, oppositâ dirimens *Fullamia* ripâ.

5 Quâ verò quâ te pangam diuine Camœnâ
ANTISTES, cuius non dico Dania lauros,
Sed neque si priscis mundus mutetur Athenis
Æquiparet? dubitemne tuas Sanctissime voces
Huic etiam valuisse operi, quas sæpius illa
Audierat, nimiumq́; libens? Queis Cæsar, & ipse
Flectitur Omnipotens. Cui tantum debuit Aula?
Quem iuxta coluit? similem quo cernet in æuo?
Quinetiam fama est, lachrymis te Sancte liquentem
Tantâ clade tuis, (nec enim cor mollius vlli est)
Regalisque super percussum cuspide luctûs,
Diluvium antiquum metuentem, exq́; imbribus imbres,
Nescio quâ sicco vereres mutâsse paludes,
Et *Chamum* fugisse tuum. Tenuissima dixi
Hactenus, & quanti sequitur quod ponè cothurni est?
Agnosco, fateorq́; libens. 6 Quid REGE, quid ergo
Et tanto speres, & CONIVGE? Parcite sæcla,
Deficit hoc mihi Musa loco; non cætera possum,
Non Helicon forsan; stupeo, & longinquus adoro.
Scilicet hic is, is est, regnum qui fingit, & *Annas*,
Et *Carolos*, prolemq́; suam, prolesq́; suorum.
Sed repetamus iter.

Ergo vbi nulla datur fatum exuperare potestas,
Parcarumq́; dies, & diro sorfice pollens
Approperat soror, atq́; immania tela coruscat,
Dat iugulum: Video, &, satis est quod viximus, inquit,
Haud placet vlterius, certo stant omnia fine.
Hoc etiam tibi *Sponse* datum est, quòd pigra recedo,
Quippe tui cupiens, solo quo coniuge fælix
Proxima cœlestem videor sperare maritum;

Viuo

Viuo etiam, ſi viuis, ait. Sic fata, comantem
Et *Carolum* iuuenem, & manibus coniungit *Eliſam*,
Non manibus, non, ſed voluit, contentaq; linguâ eſt
Aſpirare preces. Triadem, CHRISTVMq; Deumq;
Et rigidum mundi portantem crimina poſtem,
Et ſua non alio figi commiſſa trophæo,
Omnibus ingeminat Virgo magis. Affuit vnus
Qui peteret, petereme lubens cœleſtia plena
Templa Deo, totaq; Deum ſi mente ſitiret.
Et ſitio, inquit, & huc toto contendo volatu,
Quantum animæ carneq; ſinunt. Ceu damula quondam
Quam canis & multa violentus arundine latro
Præcipitat fluuijs, & linguâ præcipit amnem,
Sic ſitio; ſitis eſt & vita extincta loquenti.

Hic tenor eſt Annæ fatorum, hinc cæpit Olympo.
Fortunata quidem; ſi quid mea carmina poſſunt
Triſtia Lethæi fugiet contagia ſucci,
Per populos ſpargenda viris, cœloq; ferenda.

Votum pro Salute Regis.

REginei manes, & magni nominis vmbra,
Quæcunq; te nunc ora ſyderum tenet,
Seu tua te prima moriens ætate *Maria*,
Seu noſtra forſan grandior mulcet parens,
In cuius ſubijſti animos, loca cuius, *Eliſa*;
Nam chariores ſortè nec *Dani* tibi;
Seu mihi quæ dubio magis eſt ſententia cordi,
Henricus ille te lætam lætans tuus
Accipit, & vaſti monſtrat miracula mundi,
Henricus, ah ſed ſurgit hinc novus dolor:
Quæ te cumq; trahit cœli plaga (Nam pietas te
Exemit, & Seruator inſertis Deus:

Forma quoque, & mundi eximerent radiantia circum,
Sed sola virtus asserit cælo piam)
Alma parens, Regina trium modò splendida regnûm,
Maiore nunc sed aucta regno, maximo;
Vnum oro, solare tuos, populumq; Britannum, &
Regem IACOBVM, Cardiumq; filium.
Vulnera, quæ tibi facta, leua: Tu scilicet ille es
Fallace rursum *Pelei* natus stolâ,
Hasta quoque Æmonij tua sunt, tua lumina, Regis,
Et dant salutem utq; auferunt nutu tuo:
Ceu quondam primâ SPONSO conspecta iuventâ
Et vulnerabas & iuuabas mutuum,
Nunc quoque sollicitis fractum ob tua funera curis,
Fractumq; *morbo* nuper, & *curâ* magis,
Aut cura nobis cœlesti munere Diua,
Aut Diua ne sis, nosq; pessumdes simul.

Ad sereniss. sacratissimamq; Maiestatem, incomparabile Religionis ac Studiorum firmamentum, παραμυθητικὸν, (Quod bona eius liceat venia,) *pro Corollario.*

NON SEMPER atris liquitur imbribus
Cœlum supernè; nec tumidi nemus
Euriue persultant Notiue,
Ingenio variante rebus,
Est & marinæ tuta procaciæ
Quandoq; lassis turbinibus fides;
Præstatq; securis quietum
Halcyone pelagus carinis.
Alterna somno sydera barbaras
Mulcent cohortes: nec refugit breues
Bellator, ex crudo, tenebrûm
Inducias, referente nocte.
TV SEMPER vrges, TV lachrymabili
ANNAE perungens corpora mortuæ

Nim-

Nimbo, ſub heu tantis fatiſcens
Deficis, ô metuende, curis.
Quàm penè merſum nuper iò caput
Curæ dederunt, quod *Caput imperi* eſt!
Ægrumq; labentemq; pauidæ
Vix rapuit medicina cymbæ!
O illa quantis conſtitit Angliæ
Tandem ſagaci, queſtibus alea!
Vt rurſus inuiſum Cometen
Horruimus *tuæ Cleriu armæ*!
Tv namq; ſæclum condis & aureum,
Et iura Muſis integra diuidis
Haud ante tam fauſtis, tuiq;,
Nil ſatagens, ſatagis tuorum.
O ſi liceret mutua corpore
Penſare noſtro, mellee Principum,
Fuſoſq; ſtringentemq; ferrum
Atropon occubitu morari.
Quin parce tandem; Parce per heu Deos
Omnes rogamus, prodige ſpiritûs
Noſtriq; veſanum tuiq;,
Immeritos lacerare crines,
Turpare ſacram (quod patriæ vetant
Leges, & ipſa præcipit Æquitas)
Veſtem; laboratumq; multâ,
Artifici, diadema gemmâ.
Quippè & reſectam proſequitur decus
Roſam; nec ANNAE gratia marcuit,
Spirans odoratos ELISAE
Perq; tuos CAROLE alme vultus.

Sam. Collins Coll. Regal. Præp.

ADijce, ſi nondum longo te ſoluere luctu
Lector amice paras, & quæ mea flebile inæſtis,

Exululans fert Musa choris, cycnosq; secuta
In postrema suos protraxit tempora planctus.
Sed neq; nos niueæ præstantem munere Formæ,
Nec Baccho dignam querimur Phœboue Iuentam
Heu tristes subijsse lacus, nec sanguine Regum
Mixtam, Regalis sociam thalamiq;, futuros
Mox quoque forte suo dantem de corpore Reges.
Nec dulci *Caroli* genio, nec mitis *Elisæ*,
Inuidiam fatis struimus, manesve eiemus
Armipotens *Henrice* tuos, nec regna vocamus
In partem nostri aut Scotica aut fraterna doloris.
Quid plusquam geminæ doctam commercia linguæ?
Quid pietate grauem, & mutatam cœlite, in ipso
Corpore adhuc mortali, animam, virgaq; piari
Diuinâ miserę gaudentem sontica vitæ,
Et lætam ferulis, amplexantemq; flagellum?
Nec nos Naturæ facimus conuitia rerum,
Mortalem querimurue mori, nec busta nec atras
Hoc potuisse Deas versu indignamur amaro.
VNVM illud Regina tuum, præq; omnibus vnum
Mittimus in numeros, & toti pandimus orbi;
Vnum illud deflere tuum noctesq; diesq;
Et laudare libet; lachrymas nam laudibus æquas,
Vel potius superas, excedit Gloria casus.
O quám diffusi non vlla licentia sceptri
Te dedit in furias, medioq; abduxit & æquo?
Quàm non audaci transisti tempora voto?
Quàm contenta tuis? & quanquam fœmina, quanquam
Augusto Regina loco, maiora marito
Vt par est, spirare timens, sperare recusans?
Quæque dari poterant, poterant tibi Diua negari.
Respice cui non hæc Lector miranda videntur,
Respice Romanas quantâ (Deus alme) calentes
Ambitione nurus quondam, thyrsoq; furentes,
Seu tu Poppæas, seu mauelis Agrippinas.
Respice & ad mores, hodiernæ conspice vitæ

Per

Per populos exempla polo ſub vtroq́; iacentes,
Præcipueq́; animis actas immanibus *Aulas*.
Quæ fera rempeſtas, rabidus quis carcere ventus
Miſſus ab Æolio, pauidum ſic concutit orbem,
Sic lacerat? Catulis volitat quæ Tigris invltis
Tam violens? Sed Muſa ſat eſt, iam claudere riuum
Muſa potes, gratoq́; rates ſubducere ſicco.
Muſa ſat eſt, nec te quondam cecinisſe pigebit
Fors, gracili quamvis calamo, tenuiq́; cicuta,
Mite Deæ ingenium, moderataq́; Principis ora,
Principis haud humili cœlorum parte receptæ:
PACIFERAMq́; SVO iunctam SALOMONE SALOMEN.

In eandem ſententiam Diſtichon.

OSSa tegens Regum *Weſtmonaſteria* ne ſis
ANNAE gleba grauis; non fuit illa tibi.

Iohannes Macarneſſe Regalis. Presb.
Cond. & Art. Mag.

NOn fugit vmbra rogos, tantæ Cœleſtibus iræ;
Nec licet in ſtygijs ire, redire vijs.
Cur ſacros moueo Manes, Cineresq́; ſepultos?
Non tua ſub paruo Ceſpite fama iacet.
Nec de marmoreo repetas monumenta ſepulchro;
Nam ſtruxit tumulum laus tibi ſumma tuum.
Regna maritâſti tria, iungis Dano-britannos,
Et populus, ternus qui fuit, vnus erit.
Vno ſic trimos inimicos, nectis amicos
Nodo; ſic nexos iam tenet vnus amor.
Pro quibus, en leuior Cippus nunc imprimit oſſa,
Et redit in violas Atra ſauilla nouas.
Hei niſi virginibus vis eſſet inermis ad arma,
Cuncta tibi Charitum turba tuliſſet opem.

Sed plures pro te gemitus quam Carmina fundunt,
Nam miſcent lachrymis ſe ſua verba ſuis.

Guiliel. Allenſon Incept. in Art. Coll. Syd.

SIc Regina tibi langueſcunt lumina morte,
Nudaq́; lethæas cogeris ire vias;
Terra tegit corpus, Mentem polus aſtrifer, illa
Excudit lachrymas, comprimit ille meas:
Lætor ſtellantis miror dum culmina cœli,
Inter enim ſtellas *Tu* noua ſtella nites;
Sed dum terrarum cineres & viſcera luſtro,
Viſcera me torquent, me cineresq́; tui:
Dum triſtis lætor, lætus dum triſtor, ocellos
In diuerſa trahunt Terra Poluſq́; meos.

G. Anſeild Coll. Regal.

REx, proceres, plebs tota, Britannia, Dania, luctum
Nil niſi cuncta ſonant; Academia, Curia, Deflet.
At lachrymis, liquidi cur fluminis inſtar, obortis
Triſtantur; tua ſi mens hæret pendula, Dicam;
In cœlo ceu luna micat Regina: Dolendum eſt,
Carmina, quod nequeant lunam, deducere cœlo.

Ri. Maden Magdal.

TVrba Corinthiaci populi, cum luna laborat,
Carmina vt euitet, quò ſuuet æra quatit:
Anglia, non tantùm tua iam tibi Luna laborat;
Prorſus at (heu miſerum) tollitur orbe ſuo.
Non his æra malis, ſed & ora modeſta fletu
Conueniunt, ſæuâ & pectora tunſa manu.

Illa

Illa, illa occubuit Regina, illa Anna, nitebant
In cuius facie Iuno, Minerua, Venus.
Maieſtas frontem ornauit Iunonia, ſedit
Inq; genis Venus, & tertia in ore Dea.
Diua triplex, nec poſt ipſam memoranda Dianam,
Vt Latona ſolet, ſic loca trina tenes.
Corpus terra tegit, laus eſt diffuſa per orbem,
Gaudet Olympiacâ menſq; recepta domo.
Subductæ nobis ſint hæc ſolatia Phœbes,
Noſter vt vſq; ſuo Phœbus in orbe micet.

Guiliel. Langhorne Aul. Pemb.

CRudeles ſuperi, nimium Crudelia cœli
Numina: crudelis tu quoque Parca nimis:
Vos aquilas vultis triſtem mutare ſenectam,
Vos coruos vultis vincere ſæcla nouem,
Vos angues etiam nitidâ veſtire iuventa
Vultis, & antiquæ ponere terga cutis;
Sed Regina perit, cui ſumma à Gadibus vſque
Auroram & Gangem gloria duxit iter.
Non perijt Regina tamen; namque inclyta virtus
Fecerit æternas illius eſſe dies.

Georg. Auuby Gen. Coll. Syd.

In obitum ANNAE *Sereniſſimæ, Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Reginæ, Carmen funebre.*

R elligioſa	*Rogos*	*Refugit*	*Regina*	*Rapace*	*S*
E lyſijs	*Erycina*	*Epulis*	*Explebitur:*	*Exten*	*T*
G audentes	*Gentes:*	*Geſtorũ*	*Gloria,*	*Geſt*	*V*
I ucunda,	*Imperijs*	*Ingens,*	*Iunonis*	* *Idæ*	*A*
*N*omine,	*N*atura,	*N*atu,	*Notiſſima:*	*Necta*	*R*
A ltius	*Accipies,*	*Aſtris*	*Ardentior*	*Aſta*	*T.*

*Vtinam ſyllaba brevior & Reginæ vita longior.

In

In eundem.

Regina Emoritur Gemma Ignea, Nobilis Arte:
Sed Tumulum Vitans, Aurea Regna Tenet.

In eundem.

Iuno, Minerua, Venus, diademate, moribus, ore,
Clara, benigna, decens, perijt, discessit, abiuit.

In eundem.

Mors immitis erat, stellam quia subtrahit orbi,
Mors quoque mitis erat, stellam quia reddit Olympo.

In eundem.

Fata mori iubeant: iubeant modò viuere Musæ:
Non PARCIS CHARITES robore viq; pares?

In eundem.

Morte vnâ geminâ vitâ Regina potita est:
Spiritus in cœlo: Fama reperta solo.

Gil. Cole Coll. Syd. Sussex.

ERgone te pallor, princeps, mortisq; perennis
Inuasit sopor, & sub funere mersit acerbo?
Nil nostrę valuere preces? in vota vocâsse
Nil superos, sacra aut cumulâsse altaria donis
Prodest? Dij summi, vel quicquid numinis vsquam est
Infandum hoc prohibete nefas, sic ponere vitam
Lugendam, labiq; natantia lumina letho,
Sic finitis, curæ vestri cui semper honores,
Cui curæ pietas, & amor iustiq; bonique;
Semper erat? cuius regnauit pectore quantus
Doctrinæ cœlestis amor, legumq, sacrarum?
Quantaq, religio? qualis pietasq, fideq;?
Quàm vitæ insignis ratio? quàm labe carentes,
Et rari mores? quàm mens obnoxia nullis
Criminibus, sed recta, operumq; inimica malorum?
Heu sæuæ leges, & dura potentia fati!
O dolor! ô luctus! liquidos cum Byblide rores

Indue

Induete in fontes gens Anglica, lumina fletu
Immodico manent æterni fluminis inſtar.
Plorantiq́; cadant tales per pectora guttæ,
Quales exanimum Phaetonta querentibus vdo
Manârunt verſæ in lucentia ſuccina libro.
Quæ modo flos aulæ, patriæ lux, orbis & vrbis
Deliciæ, noſtri (ô princeps) quæ gloria regni
Nuper eras, ſummi iam facta es cauſa doloris.
Immenſi lachrymarum hinc vndiq́; & vndiq́; fluctus.
Rex tanto victus luctu, ſerieq́; malorum,
Se totum in lachrymas ſoluit, vultusq; recondit.
Non aliter quàm cum cæcâ ferrugine tectus
Obducto tenebris Phœbus ſe ſubtrahit orbi.
Nec non & Princeps transfixus corda dolore
Deficit, innumeris auras & queſtibus implet,
Dum matrem deflet crudeli vulnere victam.
Anglia te, triſtis te Scotia, Dania triſtis
Te luget, lugent proceres, Eccleſia, plebes.
Rumpuntur filices: ſe tardiùs induit arbor
Fronde, ſuis deflent te Nymphæ in fontibus; ipſi
Murmura ducentes imo de pectore venti
Cum gemitu ſpirant, ſpirantibus adgemit Echo.
Sed quid vos cineres ſuaues, quid vos fugientes
Perſequor in ſuperas reuocanti carmine ſedes?
I decus, I noſtrum, melioriq; vtere ſorte,
Inq; alas placidè Zephyri ſublata fauentes,
(Quandoquidem, quò fata trahunt immota ſequendum eſt)
Iam dea lucentes cœlorum illabere currus.

P. Salmon Regal.

COelica turbatur moles, telluſq; laborat,
Hic homines, illic ſydera celſa tremunt.
Anna tuæ vitæ priuatio præſtitit illud,
Hoc noua maieſtas efficit Anna tua.

Harrington Botcler Coll. Syd.

In *lacrymas Cantabrigienſes.*

TRiſtis in Angliacas ſine me *Liber* ibis in vrbes,
Nam fluit ex oculis parvula gutta meis.
Non ſic Pyerio caruerunt funera fletu
Principis Henrici pignoris, Anna, *tui:*
Nimirum careat (ſic fleuimus illius Vmbram)
Æternùm *Lacrymis* Vmbra ſecunda *nouis*.

R. C. Coll. Regal.

QVo Te fœlix Anna modo deflere licebit?
Cui magnum imperium, gloria maior erat:
Eccè meus torpens animus ſuccumbit vtriq;,
Cui tenuis fama eſt, ingeniumq; minus.
Quis, niſi qui manibus Briareus, oculiſq; ſit Argus,
Scribere, Te dignùm, vel lachrymare queat!
Fruſtrà igitur ſudo: ſupereſt mihi ſola voluptas,
Quòd calamum excuſent Pontus & Aſtra meum:
Namq; Annæ laudes cœlo ſcribuntur aperto,
Sed luctus noſter ſcribitur Oceano.

G. Herbert Coll. Trin. Soc.

ANNA Heb. חנה
Rad. חנן gratiam fecit.

GRatiam fecit celebris Britannis
Anna, dùm vixit; morituræ & Annæ
Gratiam fecit deus; en vtrinque
Gratia multa!

ANNA.

Siue ſiniſtrorſum, dextrorſum ſiue legatur
Anna, eadem vox eſt, quid nobis inde notandum?

Anna

Anna eadem princeps, iam mortua quæ fuit ante:
Gloria non deerat viuæ, deeritue ſepultæ.

Nic. Maſ. Coll. Chr.

DEſine crinitæ ſcrutarier omina ſtellæ,
Occidit arctoæ regia ſtella plagæ.
Nunc triſtes Elegi velis maioribus ite,
Occupat inſolitus viſcera noſtra dolor.
Pone refulgentes atrata *Britannia* veſtes,
Plangito crudeli pectora nuda manu.
Mutet honor cultus, & inania cymbala ceſſent;
Soluat adornatas fœmina mæſta comas.
Heu facinus! Luſtris nondum bis quinque peractis,
Anna iaces fati Lurida pręda trucis.
Tempora nec triplici prodeſt cinxiſſe coronâ,
Nec quod eras Regis filia, ſponſa, parens.
Flecti *Parca* nequit: terreni culmen honoris
Anxia nè tandem tranſgredereris erat.
Viderat vt nulli per ſæcula priſca iugalis
Contigerat caſti gloria tanta tori.
Viderat ætheream ſobolem, charoſq; nepotes
Altius his terris exeruiſſe caput.
Quodq; tua externis fortuna nec inuidet oris,
Quicquid Callaicis foderit Aſtur agris.
Quicquid & auriferis Pactolus voluit in vndis,
Quicquid habet flaui diues arena Tagi.
Quicquid in Aſſyrijs ſeruas auis vnica nidis,
Quicquid Erythræi Littoris alga tegit.
Æmula naturæ virtus, & gloria, vites
In te certatim contribuere ſuas.
Inuida, proh, mediæ præcidit ſtamina vitæ
Non tamen incautam mors inopina tulit.
Teſtis erit tremulo quam protulit ore ſuprema
Vox, accepta pijs & memoranda viris.

Tertius hic agitur, vitæque nouissimus Annus
Ex quo præsensi vulnera mortis, ait.
Si rediuiua tuas in laudes ora resoluat
Mæonides, rerum pondere pressa forent.
Iure tamen diuas Heroidas inter haberes
Prima locum; meritis at minor iste tuis.
Hei mihi quod scombros metuant mea carmina, cedro
Nec valeant laudes digna referre tuas.
Eia agite ô vates, facilis præcordia Titan
Queis meliore luto finxit & arte beat.
Eia agite; ingenium dicas hîc forsitan vnde
Par oneri? in magnis at voluisse iuvat.
Anna vale, mens ante tuis intenta Britannis
Sedibus Elysij; nunc requiescit ouans.
Marmora Pyramidum structuræ, ac æmula Regis
Mausoli saxis, molliter ossa premant.

Rob. Lunnæus Scotobrit: flens posuit.

In nomen ANNAE, *quod & retrorsùm legenti eodèm recidit; estq; argumento* CONSTANTIAE *in excellenti Heroinâ.*

OQuàm te raptam plorarem funere *Nympha*?
Nympha sed has lachrymas supprimis ipsa magis.
Namq; tibi ad cunctos casus patientia parta est,
Et quadrata cadis quâlibet ANNA cadas.
Ex ipso coniecturam fac nomine Lector,
Vltima prima legas, attamen ANNA manet.
O verè sociam Regniq; & laudis *Elisæ*,
Iamq; *eadem semper* tu quoque scribe Soror.
Quod minus est immò, *viuens* hoc scripsit *Elisa*,
ANNA *eadem* inuitâ nunc quoque *morte* sibi est.

Iohannes Burrell Regal.

Quin

QVin *Oculus* Regni eſt *Academia* iure vocata,
Humores aqueos, en *lachrymasq́* ſuas.
At ſibi cur *tunicæ* nigræ? tu mirte rogate:
Eſt, *eſt conueniens luctibus ille color.*
Marmad. Heydon Syd. Coll.

Ἄλλα μὲν ἄλλος ἰὼν φέρει ἄνθεα, ἄλλα δὲ ἄλλος
Μουσάων θεράπων πρὸς τάφον, Ἄννα, τεὸν.
Μοῦνον ἐγὼ Τάχινθον, ἃι αἰ γεγραμμένα ἄνθῳ
Σύμβολα τῆς πένθος ἐν πεταλοισιν ἔχον.
Chr. Legard Coll. Sid.

PRoh dolor, en mater Patriæ iam in viſcere matris
Conditur, inq́; ſolo regia noſtra parens.
Phœbe tui haud alacres properant de more iugales,
Aſpera iam demptâ fata ſorore times.
Cum tanti attingant cœleſtia limina caſus,
Quanti habitant luctus inferiore loco?
En miſeranda, caput queis fœlix Anna ſepulta eſt,
Tempora; nunc totus, quod gemat, orbis habet.
Te Regina dolet, te durâ morte peremptam
Infœlix madjdis Anglica terra genis.
Ah dolor, ah gemitus, geminant ſuſpiria luctus,
Obruimur fletu, nil niſi vota manent;
Vox mihi defecit gemitu, mihi carmina luctu,
Dum reliqui cantent, hæc mea muſa gemit
T. Rhodes Reg.

ANglia deploras matrem? pater vſque ſuperſtes.
Matre tibi præſtat, quàm caruiſſe patre.
Ed. Smith Regal.

In nomen Sereniſſimæ Reginæ præmaturâ morte correptæ, Annagramma.

ANNA STEVARTA
NATVRANE SATA?
EN SATA NATVRA.

CVm (Regina) tuo virtutes corpore tantas
Vnitas, & tot conſpicerem charites:
Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
NATVRANE SATAM credere, ſiue deam:
Cùmq; Deam dicturus eram; mors aſtitit atrox,
Et miſero viſa eſt hæc mihi verba loqui.
Falleris, haud iſtud Reginæ nominis omen:
Vtrum naturâ ſit ſata ne dubita.
EN SATA NATVRA eſt, ſi ſic inverteris iſtud,
Verum reginæ nominis omen erit.
Dixit, & infauſto transfigens pectora telo,
Hic, non eſſe Deam comprobat, ictus, ait.
Siccine Reginam (Mors) fas eſt tollere tantam?
Nonne alio poteras iſta docere modo?
Aut ſi non poteras, cur non errare licebat?
Anne fuit tantæ cognitionis opus?
O vtinam tanti vixiſſem (maxima Princeps)
Neſcius ipſe mali, neſcia tuq; mori.
O fœlix error dum te viuente fruebar!
Parta tuâ infœlix cognitioq; nece.
Si nunc errandi rurſus mihi cauſa daretur,
Notitiam tanto non emerem pretio.

C. D. Chriſt. Coll.

MIra cano: quæ ſtella fuit modò fixa, cadentem
Vidi, dumq; eadem cecidit ſuper aſtra volauit.

Steph. Berryer Syd. Col.

SEmper erat numeros rectè callentibus, inter
Perfectos primus præcipuusq;, Trias.

Reg-

Regnorum flos Anna, trium & ſpolia ampla ſororum,
Es perfecta Trias mortua, viua Trias.
Stant Charites, ter tres Muſæq́; in funere flentes:
Rex, Princeps, funus fleuit Eliſa tuum.
Et conſpirârunt tres in tua funera menſes;
Hic gemitus, lachrymas is, dedit ille rogum.
Iuno, Minerua, Venus terreſtri in mole latebant:
Cælica nunc facta es Iuno, Minerua, Venus.
Anna Vale, numeris ô perfectiſſima, fœlix
Diuinæ in Triadis nunc requieſce ſinu.

I. I. Coll. Regal.

In Cenſorem Lachrymarum.

MIraris nobis tam lentos currere verſus,
Et Chamum fracta dedidiciſſe lyrâ.
Quiq́; fuit nuper nitidis argenteus vndis,
Turpem limoſâ ſcilicet ire viâ!
Scilicet; an cauſam tantæ licet edere noxæ
Zoile? nam non eſt, Zoile, quale putas.
Nec vetus offuſo ſqualet facundia limo,
Dædala cæruleo nec lyra fracta ſeni eſt.
Sed neq́; Reginæ non pungunt funera; Verûm
Ipſe negat *Saluo Rege* dolere dolor.

Chriſt. Goade Bac. Art. & Coll. Regal. Soc.

PArcite, dum ad prælum properamus carmina, multis
Si pauca obrepant crimina carminibus;
Quin niſi præ lachrymis acies hebetata fuiſſet,
Carmina plura forent, crimina nulla forent.
Sic mea, dum certant ſuperaddere plura loquaces,
Attonita in tanto funere Muſa ſilet.

FINIS.

Hic operis *Finis*, ſed non mœroris & idem,
Iſte doloris abeſt, ille laboris adeſt.

P. C.
Præli Corrector.